



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

Consultatio XIX. Jesus Christus sanctificans animas abundantia gratiarum
suarum, suam glorificat Divinitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509



CONSULTATIO XIX.

JESUS CHRISTUS sanctificans animas abundantiam Gratiarum suarum, suam glorificat Divinitatem.

Incipiebamus haud levi affici taedio, & ferme jam expediti ad discedendum, quando advenit Theonas, qui mox plures afferebat excusationes, amoliri à se volens culpam, quòd duas vel tres horas ultra, quam debuerat, nobis injecerat moram. Ut quid cunctabaris ita? erat mihi quidquam haud modicum urgens peragendum in horto meo, tempus præ foribus jam est, idque videbatur mihi valde commodum. Quamvis magnam vos prosequar reverentiam & ardenti tenear desiderio aliquid addiscendi à vobis, non poteram tamen imperare mihi, ut desererem tam citò, quod inceperam; nòstis quam vim habeat in illos, qui amant ipsam, parva hæc recreatio.

An igitur magna tibi est hujus artis peritia, inquit ipsi quamprimùm Ecclesiasticus, cum videam tanto te ferri in illam affectu. Sed metuo, ne propen-

sio naturalis, quæ te huic exercitio, quæ ex seipso nil habet novæ, affixum tenet, tuam quoque teneat & inclinet animam paulisper versus terram: oportet assuescere Christianum, ut operam navet labori modo Christiano, id est, ut semper supernaturales foveat affectus, formet intentiones in actionibus maximè naturalibus. Sanctus Paulus hanc ipsam instructionem primis dabat fidelibus; & ut exemplum tibi suppeditem desumptum ex horto tuo.

An nòstis institutionis arcanum & artem, eo modo, quo suos docet & instruit Romanos? Tu oleaster eras, sylvester ac sterilis, insertus es in bonam olivam, ut bonum & abundantem afferres fructum. An hujus expertus es arcani? an ita rem instituis, dum bonos desideras afferre fructus? an malum furculum inseris bono caudici, an malo caudici bonum inseris furculum?

Rom. II.

Deus ex opo-
posito homi-
num more, in-
ferit malum
furculum bo-
no caudici.

H h h 3

Fa-

Fateor, inquit, adversari bonæ rationi, à malo furculo expectare bonum fructum, quamvis caudici insertus sit bono: siquidem furculus est, qui bonum confert saporem fructibus, & non caudex; fructus semper sunt ejusdem cum furculo naturæ.

Deus est hortulanus vel agricola infrens furculos,

Et nihilominus sic est, reponit Ecclesiasticus, ita nobiscum progredere Deum, ut germinare nos faciat jucundos vitæ æternæ fructus. Sanctum Evangelium nobis dicit, Deum Patrem esse agricolam aut hortulanum; totus hic mundus hortus est & ager, cujus colonum agere is sibi complacet; sed præcipuam providentiam providentiæ suæ curam impendit arboribus, id est, hominibus. Sed magis stupendum horti sui prodigium, magisque exquisitum manuum suarum est opus, quod inseruerit furculum sylvestrem ac sterilem fœcundo & peramceno caudici, ut è malo furculo & bono caudice, nonnisi unam efficeret arborem: & hæc arbor fructus affert in tanta abundantia, ut illa sola sufficiat ad implendum divitiis & deliciis cœlum & terram.

Jesus Christus est arbor vitæ insertus à divino Patre suo.

Benè capis, prodigiosam hanc arborem, de qua loquor, esse Jesum Christum; malum furculum esse humanam nostram naturam, & bonum caudicem, qui sustineat ipsam, ac illi suam

conferat fœcunditatem, esse Suppositum Divinum, Personam Verbi æterni. Quantum prodigium, quod admirationem parit Angelis, & omnem felicitatem affert hominibus! videre naturam divinam & naturam humanam, unitas in sola Persona Verbi adorandi, velut duos furculos eidem infitos caudici, ad constituendam ex illis nonnisi solam & unicam arborem, quia non est nisi unus & solus Jesus Christus.

Verum est, non omnia in ipso ejusdem esse naturæ; nihilominus omnia sunt ejusmodi saporis, ejusdem bonitatis, ejusdem valoris. Quamvis enim hæc tam arcta & intima unio duarum naturarum illas non confundat, nec inter se commisceat; quamvis ipsæ non mutantur, nec divina in humanam, nec huma-

na in divinam, cum ambæ non trahuntur à natura humana, hæcque adornat se illis, illarumque gloriosa circumfert elogia, splendidos titulos. Benè enim dicitur: Homo est Deus, homo est omnipotens, homo est æternus, homo est Creator mundi, homo est Salvator mundi, homo conficit

Communicatio idiomatica fundata supra unitatem Personæ,

ficit divina infinitæ molis opera. Et similiter infirmitates naturæ nostræ humanæ irrepunt, seque insinuant in ipsam usque naturam divinam, quasi in triumpho portatæ supra illam; ita ut cum veritate dici possit: Deus est homo, Deus est infirmus, Deus subditur superiori, Deus patitur, Deus tolerat famem, Deus moritur: sic de reliquis nostris infirmitatibus humanis; ô Deus! quantum prodigium, videre vel Deum ita depreßum, vel hominem ita sublimatum! utrumque mihi videtur incomprehensibile.

Aktionen naturæ humanæ sunt imbutæ Divinitate Jesu Christi,

Verum plus adhuc est, quod debilis hæc natura humana, stertilis hic & insipidus furculus pro-pria Personæ Dei insitus, habeat & possideat jus trahendi exinde vigorem, vitam, robur, fecunditatem, saporem & dignitatem; quodque ipsa communicet hanc fructibus ipsius, quos exinde reperire est totos imbutos, & si ita loqui licet, totos conditos Divinitate. Et quod summam nostram constituit felicitatem in terris, arbor hæc divina, nec unicum fructuum suorum producit pro seipsa, omnes spectant ad nos, offert hos nobis, donat hos nobis, urget nos ad carpendum ipsos, in tanta abundantia producit ipsos, ut quanto plures carpimus, tanto plures remaneant sarcendi; munificus hic cœle-

stium bonorum fons exhauriri non potest.

Venite, omnes mortales, venite omnes filii Adæ, haurite omnes, quantum volueritis, ex hoc fonte, & quantum poteritis, vos locupletate. Venite, creaturæ possibiles, mundi innumerabiles, qui dormitis adhuc tumulati in sinu nihili, prodite in lucem, si vocabit vos Deus, & haustum venite, quantum volueritis ex magno hoc thesauro, nunquam exhaurietis illum.

Compara Omnipotentiam Creatoris cum bonitate Redemptoris. Non spectat nisi ad supremum Creatorem entium, e-ducere illa ex nihilo, & fabricari ex illis mundum naturalem, compositum è maximo creaturarum numero, quarum nec unica vel minimum entitatis suæ atomum recepit ab alio, quam ab illo. Omnia hæc, quæ produxit è nihilo, producant in lucem & divulgant ipsius potentiam; sed hoc, quod exin producere potest, nullis conclusum limitibus, manifestius adhuc ipsius extollit Omnipotentiam.

Non spectat etiam nisi ad su-
Thesaurus divi-
viciarium Re-
demptoris est
inexhaustus.
here animas è miserabili nihilo demptoris est
peccati, per benignam & miseri-
cordem gratiarum suarum effu-
sionem, & componere alium
mundum supernaturalem, nobi-
litate longè superiorem hoc
mundo

mundo visibili, mundum compositum è maximo numero Sanctorum & Beatorum, quorum nec unus est, qui receperit vel minimam sanctificantis gratiæ portionem ab alio, quam à JESU Christo. Id, quod per suas jam sanctificavit gratias, luculenter manifestat divitias bonitatis ipsius; sed magis adhuc illud, quod ex eodem thesauro suo locupletare potest, citrà id, quòd unquam exhauriatur, mundos nempè possibiles sine fine, id mirum in modum ipsius glorificat Divinitatem. Siquidem si oportet Deum esse, ut ex nihilo creet & producat mundum in ordine naturæ; quis diffitebitur, quin Deum esse oporteat, ut adhuc quid amplius conficiat, quod est è nihilo peccati extrahere alium adhuc mundum supernaturalem, totum è Sanctis compositum animabus, quarum minima majoris est pretii, quam tota simul natura corporalis.

Non spectat nisi ad JESUM Christum solum facere Sanctos.

Nihil propemodum evidentiùs declarat Divinitatem JESU Christi, quam videre ipsum solum esse, qui efficiat omnes Sanctos. Quando enim ex suppositione hujus, quod negatur à

Theologis, inveniretur alia potentia, quam divina, quæ possit producere è nihilo aliquas creaturas in ordine rerum naturalium; certissimum foret, id non spectare nisi ad Sanctum Sanctorum, & nonnisi infinitam sanctitatem Dei esse, quæ extrahere possit animas è profunda abyssò peccati (ubi deteriores sunt ipso nihilo) ad elevandum ipsas ad statum tam excellentem, qui totam superet & transcendat naturam. Et quia concedendum est, magnum hoc opus esse opus JESU Christi, manifestum omnino est, ipsum esse Deum. Inexhaustus igitur gratiarum & bonitatum thesaurus est, qui ipsius glorificat Divinitatem.

Sed sigillatim expone nobis, replicat Theonas, quænam sint pretiosæ divitiæ, quas exinde haurimus. Ecce tibi illas, non expositas ad longum, sic enim tantæ forent amplitudinis, ut nullam earum inveniremus metam; sed è paucis, quæ tibi dicam, conicere poteris reliqua, quæ dictu mihi sunt impossibilia.

Vide Consultationem vigesimam de Excellentis Dei, quæ est de Dei misericordia.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quod Jesus Christus sit magnus gratiarum Oceanus, ex quo omnes haurire possint homines, nemine excepto, eò quod mortuus sit pro omnibus.

ARTICULUS I.

Thesaurus gratiarum, quem Jesus Christus nobis offert, est infinitus.

NON minoris foret impietatis statuere velle limites infinitæ bonitati DEI, quam statuere illas velle ipsius vel omnipotentia vel excellentia. Cur enim diceretur, thesaurum gratiarum, quem apertum tenet omnibus peccatoribus, non esse infinitum, id est, inexhaustum & absque limitibus, & abs eo, quod ullum excludat, quin abundanter participet ex eo, ut evadat sanctus? Vel est ex hoc, quod non potuerit; vel est ex hoc, quod non voluerit ipsum efficere infinitum: impossibile est quidquam aliud allegare. Si non potuit, ubi est ergò ipsius omnipotentia! quis est, qui limitavit ipsam ad certum terminum, cui nil amplius possit adjicere? Qui limitare potest omnipotentiam DEI, potest ipsi omnipotentiam suam eripere, & qui eripere ipsi potest suam omnipotentiam, potest ipsi eripere suam divinitatem. An tantæ impietatis sit animus, qui cogitet hoc esse potuisse? Non, dicit Theonus, dubitare nemo potest de omnipotentia DEI: Constat optime, ipsum præparare nobis po-

tuisse infinitum gratiarum thesaurum; sed fortassis id ipsum noluit.

Si noluit, ubi est ergò infinita ipsius bonitas? an minor sit ipsius misericordia, quam ipsius potentia? an ita collocas inæqualitatem inter perfectionis DEI, ut facias nobis Deum imperfectum, & consequenter Deum, qui non sit Deus? Si per impossibile aliqua inveniretur inæqualitas inter perfectiones DEI, ipsius misericordia, ipsiusque bonitas principatum obtineret super omnes alias; sicut scriptura sancta expressis nobis verbis id enuntiat: *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Psal. 144. Eheu! quâ ratione imaginari tibi quis possit, quod amor infinitus, quem Jesus Christus cunctis exhibuit peccatoribus, aliquos statuere voluerit limites thesauro gratiarum, quas dare illis voluit, ut dicere posset: Non continet is, nisi certam earum mensuram, & ideò facile exhaurire illum poteris; Nam omne, quod infinitum non est, exhauriri potest. Non igitur est, nisi certus hominum numerus,

rus, quibus obtinget fors participandi ex illo; ceteri omnes manebunt ab eo exclusi. Siquidem unde defumerem tantum bonitatis, tantum misericordiae, tantumque gratiarum, ad elargiendam exinde partem universo mundo?

*Jesus Christus
clare ostendit
quod dare
nobis velit
infinitem
thesaurum
gratiarum.*

Est ne ergo, quod ipsius bonitas exhauriri potius valeat, quam ipsius omnipotentia? Estne, quod satis non fecerit, ut ostenderet nobis, noluisse se ponere limites misericordiae & gratiarum, quas effulurus erat in omnes peccatores? An nimis sit parum, quod infinita hæc Majestas annihilaverit semetipsum in persona usque ad profundissimum abyssum? Estne, ut diceret nobis, quod major quædam futura sit profunditas, quò suas portaturus non esset misericordias? Estne id parum nimis, quod totum suum corpus humanum ita voluerit operiri plagis, ut nec unicum illius fuerit membrum quod sui caruerit vulneribus, suis fuerit expers doloris in passione suâ? Estne, ut affirmaret nobis, non voluisse se, ut omnes partes corporis sui mystici, quod componitur ex omnibus filiis Adæ, participarent è fructibus mortis suæ?

Estne id parum nimis, quod omnem suum effuderit sangui-

nem, quod propriam suam dederit vitam ad salvandum peccatores? Hocine insinuat, quod non amaverit ipsos, nisi mediocriter, quodque servare voluerit aliquam mensuram in faciendo illis benè, cum servaverit nullam in sacrificio, quòd obtulit ex toto semetipso pro ipsorum salute? Si desumenda est mensura donorum, misericordiarum & gratiarum ipsius ex amore suo, quis diffitebitur ipsas infinitas esse, ipsas multis constringi limitibus, cum limites omni eo, quod fecit, statuerit nullos? O JESU! quid amplius facere potuisses?

Haud parum igitur admiror interpellat hic Theonas, tot re-
Quodnam
motivum ha-
bere possint
ii, qui dicunt
Iesum Chri-
stum non esse
mortuum pro
omnibus pec-
catoribus.
 pertos esse homines: qui persuadere conati sint mundo, IESUM Christum mortuum non esse pro cunctis peccatoribus, ipsum non velle omnibus exhibere misericordiam, ipsum non omnibus suas concedere gratias, ipsum denique non velle salvare omnes. Quodnam efficax hoc dicendi habent motivum? Quid in hoc inveniebant commodi, vel ad extollendum gloriam DEI, vel ad promovendum salutem peccatorum, si firmiter impressissent hanc persuasionem mentibus.

Ne mireris, respondit pius noster Ecclesiasticus: Est unum è fortissimis, quibus infernus unquam

quam est usus machinamentis, ut impediret, ne homines æstimerent tanti bonitatem JESU Christi & ardens, quod habuit desiderium, exhibendi suam illis omnibus misericordiam. Si quidem si omnes hanc magni ponderis veritatem crederent firmiter, si illam penitius considerarent, si corde & animo attentè revolverent: quâ ratione non urgerentur omnes & quodammodò non cogerentur ad amandum ipsum ex totâ animâ suâ? Verùm si duntaxat aliquod injici & moveri possit dubium an forsitan aliquam ipsorum excluderet partem, quos non amet, quos salvare non velit, quamvis non foret, nisi eorum pars minima (non constat autem, quænam sit) hoc totum frigore constringit mundum. Non enim est, qui non dicat: Nescio, an mortuus sit pro me; & dum totus hoc dubio involvitur mundus, quis non videt, neminem futurum, cujus cor fortiter urgeatur ad amandum JESUM Christum? Ecce tibi, quid per hoc intendat & prætendat infernus.

Et hoc tam verum est, ut observatum fuerit, quod hærelis Calvinus, qui ipse in mundo agebat procuratorem, postquam JESUS CHRISTUS evomuit ipsum in terram, tam sibi habuerit cordi, ut stabiliret & extenderet, quantum possit,

abominandam & damnandam hanc persuasionem, ut quasi nullus elapsus fuerit annus, quo novum non evomuerit librum ad confirmandum illam. Et est, quod melius excogitari non potuerit medium ad abstrahendum animas à servitio JESU CHRISTI, quàm suspectum reddere illis amorem ipsius: non poterant efficacius abstraheri ab exercitiis virtutum, quàm injiciendò illis dubium, an JESUS CHRISTUS ipsorum velit salutem? non poterat denique fortius ipsis proponi argumentum, quo agerentur omnes vel in desperationem, vel saltem in morum dissolutionem, quàm docendò execrandam & damnandam hanc Theologiam: *Jesus Christus non est mortuus nisi pro parvâ parte hominum (nescitur quinam sint illi) non nisi pro illis mortuus est, qui accipiunt efficaces has gratias, qua operantur salutem: Sed recipient illas vel citò, vel tarðo: Et victoriosa ha gratia omni suâ resistantiâ evincet necessariò consensum voluntatis ipsorum, & salvabuntur. Omnes alii, pro quibus non est mortuus, qui erunt maxima pars hominum, poterunt quidem habere aliquas gratias transitorias: sed non habebunt has gratias efficaces, qua necessaria sunt ad salutem. Sic oportet illos necessariò damnari.*

Crudelis & damnanda doctrina Calvinus, & tequacium eius.

An sit aliquid, quod magis inducat in desperationem? Si quidem hi dicent: Si sum ex

Calvinistæ
semper solici-
tate docue-
runt, quod
JESUS CHRISTUS
non sit mor-
tuus pro om-
nibus.

Dicere, quod
JESUS CHRISTUS
non sit mor-
tuus pro om-
nibus, indu-
cit magnam
morum disso-
lutionem.

numero eorum, pro quibus JE-
sus Christus est mortuus, ipse
mihi pręparat gratias tam effi-
caces, ut necessariò reportaturę
sint victoriam de corde meo;
& ipsas habebo tandem, ut faci-
ciam id omne, quod faciendum
est pro salute mea; mihi aliud
agendum non restat, nisi ut fir-
miter confidam in illis. Si non
sum ex numero eorum, pro qui-
bus est mortuus, in vanum me
affigerem; siquidem non ha-
bebo unquam efficaces has gra-
tias, quę meam operantur salu-
tem. Ut quid ergò mihi vim
inferam, vel quidquam laboris
impendam, cum nulla mihi fu-
tura sit salus? Quò tendit spe-
ciosus hic discursus, nisi ut om-
nes omni ex parte pręcipites a-
gat in effręnatam quidvis a-
gendi libidinem.

Alii dicent: Qualis Deus est
hic, qui servitium exigit ab uni-
verso mundo, cum tamen ope-
rari non voluerit salutem, nisi
minimę partis mundi? Quanti-
stetisset pluri ipsi mori pro toto
mundo, quã mori solùm pro
parvã mundi parte? Modicam,
imò nullam arguit in ipso bo-
nitate, dum ita sua restringit
dona, quę tam facili negotio ad
cunctos extendere potuisset ho-
mines. Si nihil habet bonita-
tis, non est amabilis; si ama-
bilis non est; nolo talem habe-
re DEUM. Et hoc est, quod

Agit animas
in desperatio-
nem.

trahit in contemptum, & exin
in desertionem Christianismi, si-
cut plurimis jam accidit Calvi-
ni asseclis.

Celebre exemplum est famosi Paulus de
illius Ministri in Teutonia, cui Vindeck, li-
nomen Adam Nuzerus, qui cum bro de effi-
firmillimè persuasum haberet, caciã moris
JESUM CHRISTUM mortuum non Christi pag
esse pro omnibus peccatoribus, 269.
nec animum ipsi fuisse salvandi
omnes, hanc secum ipse insti-
tuit considerationem: Sed quid
scio, an mortuus sit pro me, &
velit salutem meam? (dicitur
enim, paucos esse electos) for-
tassis, postquam omnem in cu-
stodienda ipsius lege navavero
operam, me damnabit in ater-
num; nolo tali famulari Domi-
no. Exin abiit, reliquit gregem
suum Heidelbergę, ivit prædi-
catum ex desperatione Con-
stantinopoli Mahometismum.
Ex fructibus cognoscitur arbor,
& ex malis effectibus cognosci-
tur virus abominandę hujus
doctrinę, quę docet, JESUM
CHRISTUM non esse mortuum
pro omnibus.

O quã longè aliter sanctus Sanctus Pau-
Apostolus Paulus prædicavit lus Prædica-
delibus, quantoque ardore, hoc vit, JESUM
Spiritus Sancti instrumentum, Christum
hic gentium Apostolus, qui in- mortuum esse
credibili conflagrabat zelo pro omnibus
curandi salutem animarum, ad ut omnes ex-
nitatebatur inducere omnes ad amandum
mandum ardentem JESUM CHRIS- JESUM Chri-
stum. stum.

2. Cor. 5.

stum! Et ideo urget illos argu-
mento, quod unquam proponi
possit, efficacissimo & luculen-
tissimo, ad hęcendum & com-
movendum quodvis cor. Dice-
bat illis: *Fratres mei, charitas Jesu
Christi urget nos potenter, ut ame-
mus ipsum; si consideremus,
mortuos nos fuisse peccato, id
est, omnes condemnatos ad mor-
tem aternam, in pœnam pec-
cati nostri; sed quod Jesus Chri-
stus nos amaverit tantum, ut
mortuus sit pro omnibus, qua-
tenus omnes habent vitam
per mortem ipsius, & ii, qui
hanc vitam receperunt, non im-
penderent illam pro seipfis, sed
pro illis, qui hanc ipsis acquisivit
propria morte sua.*

Quis est, qui huic non cedat
rationi? An sit vel unicus Adæ
filius, qui sibi ipsi applicare illam
non debeat in particulari? Mor-
tuus eram, reus enim eram cul-
pæ, quæ totam infecit naturam
humanam, diffiteri id nequeo;
condemnatus ergo fueram ad
tolerandum mortem aternam;
& Jesus Christus dilexit eodẽque
me, ut liberare me voluerit à
terribili hęc morte, ipsemet mo-
riens pro me & loco mei, ut da-
ret mihi vitam aternam & bea-
tam, quam comparavit mihi
morte sua. Quis est, qui credens
hanc veritatem fateri non cogi-
tatur: Vita igitur mea non est
mea, sed illius, qui comparavit

Efficax confi-
deratio, quæ
impellit ad a-
morem Jesu
Christi.

michi eam, dando suam pro me?
Sed quis est, qui videre se possit
tam incomprehensibili præven-
tum amore, quin sentiat com-
motum cor suum, stimulatam
& quasi coactum, ad amandum
ex debita gratitudine tam in-
comparabilem amorem?

Jam sanctus Paulus, qui desi-
derat nec unicum esse hominem,
qui non ardentem amet Jesum
Christum, quique se unice ip-
sius non devoteat servitio,
vult quoque nec unicum esse,
qui animo suo non habeat firmis-
sime persuasum, quod mortuus
fuerit per peccatum Adæ (nul-
lus enim ab eo exceptus est nisi
Beatissima Virgo) quodque li-
beratus fuerit à morte hęc per
gratiam Jesu Christi, qui pro se
mortuus est; siquidem nemo ab
hoc exclusus est beneficio, eodẽ
quod mortuus sit pro omnibus:
Et pro omnibus mortuus est Christus. 2. Cor. 5.
Et hoc est, in quo consistit robur
& efficacia discursus magni hu-
jus Apostoli, qui æqualiter per
ipsum urget homines, quin ul-
lus excusare se possit.

Siquidem si dixisset: *Fratres* sanctus Pau-
mei, vos omnes eratis mortui lus neminem
per peccatum Adæ; sed Jesus fuisse lucra-
Christus mortuus est pro pau- tus, nisi dixit
cis ex vobis, quos exploratos set, Jesum
non habeo, ad liberandum ip- Christum
sos ab hęc morte: Et ideo ama- mortuum ef-
te illum ex toto corde vestro se pro omni-
quem animi motum conciliasset bus;

Liii 3

im

in ipsis? Quid ejusmodi discursu fuisset lucratus? Nec unicus ex ipsis quidquam sensisset commotionis, nec illi quidem, pro quibus dixisset ipsum dedisse vitam suam, cum nullus de hoc ullam habuisset certitudinem. Et quando Apostolus nonnisi unicum ex totâ hâc multitudine exclusisset, non cognoscendo illum in particulari, enervâisset per hoc omnem argumenti sui vim ac valorem: quivis enim, qui timere potuisset, ne ipse solus foret ille infelix, potuisset etiam formare dubium, an JESUS CHRISTUS ita se amaverit, ut mortuus sit pro se; & hoc dubium, quod nasci potuisset in omnibus animabus, illas omnes reddidisset frigidâs, & nec unica fuisset ipsarum, quæ magnis impulsâ fuisset stimulis, agitata desideriiis amandi JESUM CHRISTUM.

Invincibile
robur argu-
menti S. Pau-
li.

Sed quando omnes homines, omnes, nullo prorsus excepto, ita certi sunt, quod mortuus sit pro se, ut sit articulus fidei, & quivis ipsorum considerat, non magis verum esse, quod mortuus sit in monte Calvariæ, quàm verum sit, quod mortuus sit pro me, imò, pro me in particulari; verum ergò hoc est, ut de eo dubitare non possim. Mortuus est pro meipso in particulari, imò pro me misero & indigno, qui talem me agnosco, & eousque me amavit: An cor

fit in mundo ita durum, ita ingratum, ita insensibile & omnis expertus humanitatis, ut non moveatur, urgeatur, stimuletur, accendatur, & ratione quâdam necessitetur ad amandum tam incomprehensibilem bonitatem? O Deus! si magna hæc veritas profundè inculperetur mentibus? O Deus! si crederemus reipsâ, quod credimus nonnisi apparenter? O si comprehenderemus sicut oportet, quòd hoc sibi velit: JESUS CHRISTUS, Deus omnipotens, Deus, quem adoro, est mortuus pro me misero terræ pulvisculo! Ita, mortuus est pro me, & loco mei & amore mei in ligno crucis. Qui benè hoc caperet; ah! quâ ratione cohibere se posset? Omnes homines nonne prorsus conflagrarent amore erga JESUM CHRISTUM? O JESU, quantum amareris! Ita, procul dubio, ô amabilissime JESU, omnium post te & ad te raperes corda, mentes ac animos.

Consideratio, quam desuper formavit Theonas, videbatur nobis magno pollere judicio. Dixit enim voce admodum elatâ, habitu vultûs, qui videbatur quâdam accensus indignatione: Jam video optimè, quod sapius mihi dictum fuerat; nonnisi deceptores esse, falsos Christianos, occultos inimicos JESU CHRISTI, qui procul ab eo, ut habeant

Qui dicunt
JESUM CHRIS-
TUM non esse
mortuum pro
omnibus,
sunt decepto-
res.

beant ipsius spiritum, ut potius infecti sint hæresi & spiritu inferni, non quærentes nisi perdere animas & avertere omnes à vero pietatis sensu. Et quoniam illi, interrogat Ecclesiasticus?

Impediunt, ne Jesus Christus ametur.
 Illi nempe, qui persuadere conantur mundo, quod Jesus Christus non mortuus sit pro omnibus, sed non parvo duntaxat numero hominum, qui discerni non possint ab aliis, ut, cum nemo sit certus, quod Jesus se amaverit ita, ut moreretur pro se, nemo quoque sit, qui urgeretur, qui stimuletur ad ipsius amorem.

Imputant Deo culpam peccatorum suorum.
 Illi, qui dicunt, ipsum ita avorum esse cum donis suis, ut gratia destituat plurimos, sine quâ nec servare valeant mandata DEI, nec custodire se à lapsu in peccata plurima; quique docent eos loqui, non amplius idioma verorum Christianorum accusantium se, dum confitentur, se reos esse culpæ, & peccasse vecorditer non correspondendo & cooperando gratiæ DEI; sed qui instituunt eos, ut dicant, quod defecerit sibi gratia; quod est dicere, sibi imputandam non esse culpam, dum, peccaverunt, eoque aliter facere non potuerint, utpote necessariâ destituti gratia: omnis culpa ipsorum judicio oritur à Deo, ut qui permiserit suam tibi deesse gratiam.

Retrahunt animas à communionem sub specioso pretextu.
 Illi, qui claudunt januam regni cælorum hominibus, uti exprobrabat Jesus Christus Scribis & Pharisæis Hypocritis, non volentibus intrare nec permittentibus, ut intrarent alii: Ne accedatis tam confidenter ad sacram communionem, honoretis potius *in communicabilitatem DEI* (ô Matth. 25, magnum verbum, quo insignis edocetur devotio!) considerate, ipsum dignius commorari in seipso, quam commoretur in vobis: Ne putetis honorare vos infinitam hanc Majestatem, invitando ipsam, ut utatur ceu diversorio, exili vestro tugurio. Non, abstinete vos à communionem, & aspiciete Deum velut inaccessibleem, & incommunicabilem, & infinitâ ratione homines transcendentem.

Illi, qui imponere vellent cunctis aliis asperrimas, quas exercuerunt antiqui Patres in deserto, pœnitentias, quarum dum proponunt exemplum suadent & ipsum exercitium (cum conditione tamen hæc, ne ipsi tangant eas vel extremo digiti sui) qui requirunt à peccatoribus contritionem tam perfectam, dum frequentant sacramentum pœnitentiæ, ut certi sint, ipsos obtinuisse peccatorum suorum veniam, per doloris sui vehementiam, & lachrymarum suarum abundantiam, antequam præbeant illis absolutionem;

Fallax apparentia & species pœnitentiæ.

tionem; quique post hæc omnia dicunt hominibus, maximam pœnitentiam, quam agere possint ad reparandum factas Deo injurias, maximèque suis salutarem animabus esse, privare semetipfos sacrâ communione (audite rationem invincibilem) eòquòd hæc privatio Dei, quam imponunt sibi ipsis, imago & species sit pœnæ damni, quam iustitia DEI infligit damnatis. Cum ergò pœna damni, quæ trahit post se privationem DEI, maxima sit inferorum pœna; retrahere se à communione, quod similiter privationem Dei post se trahit, maxima erit, quæ in terris agi possit, pœnitentia. Splendida & subtilis certè ratio ad offundendum animos simplicium: quasi non constaret, privationem DEI non constituere maximùm tormentum animarum in terris, sicut constituit illud in inferis.

Dum Theonas nobis hæc dicebat, totus accensus zelo suo, & dispositus, uti videbatur, ad prosequendum ulterius discursum suum, interrogabam sub-

missâ prorsus voce nostrum Ecclesiasticum: An loqui vult de Calvinistis, vel Jansenistis? Ad minimum illi, qui ex iis magis sunt suspecti, ipsimet dicunt, tales amplius non esse; nescio an in hoc non similes sint iis, qui se abscondunt & suis includunt domibus, & postea volentibus tibi loqui dicunt: Nemo est domi, recedite, non ego sum hic. Quidquid de hoc sit, si Jansenistas invenire est in mundo, deberent hi esse Eminentissimi in perfectione; siquidem videri volunt toti mundo mortui, quamvis nunquam cessent seipsum manifestare certâ quâdam arrogantia & inusitata animi vanitate, quæ communis est omnibus hæreticis, sicut jam dudum observavit Tertullianus; sed quæ videatur specialis character esse ipsorum sectæ.

Hac super re discursum abruptit adventus juvenis cujusdam Doctoris, qui valde suspectus erat de sectâ ipsorum; cujus præsentia occasionem nobis præbuit eorum, quæ percipies.

Tertull.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Quod Jesus Christus non solum preparaverit thesaurum inexhaustum gratiarum pro omnibus hominibus, sed etiam velit, ut omnes ex eo proficiant, edquod veram habeat voluntatem, ut omnes salvi fiant.

ARTICULUS II.

Non venio, Domini mei, inquit nobis mox primam fronte, vestrum intercepturus sermonem, sed ejusdem potius accepturus partem, si res sit, cujus me non lateat notitia. Theonas, cujus animo nondum satisfactum fuerat circa id, quod dicere nobis ceperat, suum ingeminari sentiebat zelum in praesentia hujus hominis, quem melius noverat nobis, inceptum ad nos proficiens sermonem, dissimulatam quasi accensam cupiditate sua, inquit:

Quod magis mihi videtur offensivum, est, quod ejusmodi homines videantur eripere nobis velle Salvatorem mundi, quando contendunt persuadere nobis, ipsum salvare non voluisse totum mundum. Quid scio igitur, an habeam Salvatorem? Et quis scire potest, an Salvatorem habeat? Qui sunt beati, quos vult salvare? Et qui sunt miseri, quos salvare non vult? certè, si aliqui forent, quos salvare non vellet, quod cogitare non possem, illos hos esse cre-

derem, qui sibi tam indignas de infinita ipsius bonitate fabricantur & effingunt cogitationes, ut credant plures esse, quos velit excludere à magno, quod operaturus venerat in mundum, salutis beneficio. Nunquam non nuncupari audivi ipsum Salvatorem mundi absque ullâ limitatione; sine intermissione annuntiantur nobis consolatoria hæc verba, quæ sunt sancti Petri: *DEus non vult aliquos perire, 2. Petr. 3. sed omnes ad penitentiam reverti; v. 9.* Et alia sancti Pauli: *Jesus Christus pro omnibus est mortuus. Nescio, quâ ratione reperire sit homines in mundo, qui mendacii arguere velint sanctum Paulum.*

Doctor, qui tam acriter se tangi mox senserat ab homine illiterato, quemque credebat consulto insultare sibi velle, quod tam accurate tetigerit plagam, quâ dolebat, effervescente irâ & prodere parabat ultionem: nihilominus se continuit, contemptim solummodo ipsi dicere contentus: Excuso ignorantiam

Kkkk

De quibus haberi possit suspicio, quod non habeant partem ex Passione Domini.

Arrogantia doctoris hæretici.

tiam tuam, cum tui non sit instituti profunda hæc penetrare dogmata, quibus acerrima quæque ingenia hodieum insudant; sed loquendum tibi non erat de eo, quod ignoras: si haberes vel levem nontiam sanctorum Patrum, si evolvises vel obiter Enchiridion sancti Augustini, mox tuam immutares sententiam: videres enim ipsum intelligere verba sancti Pauli de genere singulorum & non de singulis generis, quodque &c.

S. August. in
Enchirid.

Quatuor effi-
caces ratio-
nes, quæ pro-
bant, DEUM
salvare velle
omnes homi-
nes.

Theonas, qui gnarus non erat hujus idiomatis, interpellat ipsum subasperè, aitque ipsi: Nulla me decorant Doctoratus, sicut te, insignia; nescio, quid sit tuum Enchiridium; haud novi nec tua genera, nec tua singula; non mihi multum est commercii cum Philosophis; sed Christianus sum, sanæ haud expertus mentis; calleo præcepta DEI, memoriâ teneo meum *Credo* ac meum *Pater noster*. Ecce hoc abundè mihi satis est, quo convincar tam validè, Deum velle salvare omnes, ut de hoc dubitare non possim. Sed absque eo, quòd aliis utar scientiis, vel alias afferam rationes, quam hæcæ quatuor, quas Deus mihi suppeditavit; naturam humanam, quam habeo ex nativitate meâ; legem, quam vult me servare; symbolum fidei, quod vult me credere; & orationem, quam

edocuit me ipse; confido, me id demonstraturum tibi tam solidè, ut certissimus sim, te nihil habiturum, quod meis opponas rationibus, quamvis non levi excultus sis doctrinâ.

Siquidem imprimis interrogo te, Domine: Quare creavit Deus animam rationalem? Nonne ipsa est substantia spiritualis, intellectiva, æterna? Nonne ipsa habet capacitatem tam vastam, tamque amplam in intellectu suo, in voluntate suâ, in desideriis suis, ut nulla omninò re, nisi DEO solo repleti possit? Quare formavit Deus speciosam hanc creaturam ad eò elevatam supra omnes alias creaturas inferiores magnum hoc universum componentes? Quare concessit illi dotes tam nobiles, potentias tam excellentes, quas cæteris non contulit creaturis? Nonne manifestum omninò est, hoc esse, ut ipsum perpetuò possideret? Nonne jam immensus animarum rationalium est numerus, quæ reipsâ & actualiter possident ipsum, quæque ipsum possidebunt in æternum? Nemo est, qui diffiteri hoc possit.

DEUS creavit
homines, ut
salvi fierent
omnes

Jam si Deus unam tantum animam rationalem creavit in hunc finem, certum est, quod cæteras omnes eundem in finem creaverit; siquidem omnes ejusdem sunt naturæ, omnes in eandem

N
tu
bu
bu

dem sunt fusæ formam, omnes eandem habent capacitatem naturalem. Sicut omnes oculi facti sunt ad videndum colores & lucem, & ex hoc, quod omnes hanc habeant capacitatem, bene concludimus illos omnes factos esse in eundem finem: ita cum omnes animæ rationales æquali ratione sint substantiæ spirituales, intellectivæ & capaces possidere Deum, concludimus optimè in eundem finem creasse Deum ipsas: Et ingens foret blasphemia, dicere, quod Deus unicam tantum animam extraxerit è nihilo, illamque ad suam formaverit imaginem, eo consilio, ut ex eâ non faceret aliud, quàm victimam justitiæ suæ in inferno. Audivi, nonnisi Calvinum esse, qui hanc ausus sit proferre blasphemiam, quod Deus eo nomine aliquas creaverit animas, ut consultò damnaret illas. Non, nunquam creavit Deus vel unicam rationalem animam, nisi cum voluntate, ut salvaret illam, ipsamque faceret beatam. Ecce jam igitur vocem naturæ loquentem, mihi que clarissimè afferentem, quod Deus salvare velit omnes homines, nemine profusus à salute consequendâ excluso.

Nemo salvatur solis viribus naturalibus,

Non dico, quod vel unicus salvari possit solis viribus naturæ: Sed dico, nullum omninò esse, qui non acceperit à Deo

suo capacitatem naturalem, ut salvus fieri possit cum gratiarum suarum auxiliis, sine quibus inutilis foret hæc capacitas. Et sicut nulla alia est creatura hujus mundi visibilis, quæ capax sit magnæ hujus felicitatis, ita nec unicus in tota specie est homo, qui non habeat hanc capacitatem. Verum igitur est, nec unicum esse, quem Deus non in hunc creaverit finem. Manifestè ergò ex ipsis naturæ principiis ostenditur, Deum omnes velle salvare homines, abs eo, quod vel unicum excludat à salute. Hoc jam aliquid tibi innuit, sed ecce quid amplius.

Interrogo secundò te, mi Domine: Quare dedit Deus legem hominibus, & legem divinam ac supernaturalem? Nonne idèò, ut dirigeret illos per viam cœli, & deduceret tandem ad æternam salutem? Nôsti enim hæc de re ita locutum esse Jesum Christum: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et nonne verum est, ipsum velle ut omnes homines, omnes dico, quin dispenset cum ullo, suam observent legem? Necessariò concedendum hoc est: vult ergò, ut omnes ambulent per viam cœli. Sed quare absolutè & absque exceptione vult omnes per viam cœli ambulare, nisi quia vult, ut omnes illuc pertingant? Vult igitur, ut omnes salvi fiant.

Matth. 19.

Deus vult, ut omnes homines custodiant legem suam, & consequenter salvi fiant.

Kkkk 2 Hoc

Hoc concludit tam evidenter, ut non liceat de eo dubitare.

Si unus homo reperiri mihi possit inter filios Adæ, de quo verum sit dicere: Deus non vult hunc hominem custodire legem suam; mox concedam, Deum non velle, ut per viam cæli ambulet, & consequenter nec velle, ut salvus fiat. Sed ubi inveniat hic homo, qui exemptus sit à lege omnipotentis hujus in toto mundo Monarchæ, à quo omnes creaturæ tam essentialem dependentiam habent & subjectionem, ut Deo ipsi potestas defuit ab hac ipsos eximendi? Et deinde, quando per impossibile invenisses hominem, cum quo Deus dispensasset, vel cui prohibuisset, ne servaret legem suam: in quem contradictionum labyrinthum conjiceres te ipsum? Siquidem hic homo faceret optimè non custodiendo legem DEI, quia perficeret DEI voluntatem in hoc, qui non vult, ut illam observet: si exequitur voluntatem Dei, dignus est mercede & proemio, & assequetur salutem suam non observando legem, sicut alii eandem observando, eòquod ambo æqualiter obtemperaverint DEO.

Sed hæc suppositio est rei impossibilis. Veritas est, Deum absolutâ voluntate velle, ut omnes homines custodiant legem

suam: si namque id non faciente mulctat & punit illos severissimè, quandoquidem vult, ut omnes suam custodiant legem; vult igitur, ut omnes ambulent per viam cæli; vult igitur, ut omnes illuc perveniant; vult igitur, ut omnes salvi fiant. Quid opponi possit argumento tam claro, tamque luculento? Et nihilominus ecce tibi aliud, quod non minoris mihi videtur efficacitæ.

Interrogo tertio te, mi Domine: Articuli nostræ fidei, quos complectitur Symbolum, nonne semper veri sunt? E quocunque pronuntientur ore, quocunque tempore & quocunque proferantur mundi loco, nonne semper consonant veritati? Siquidem propositiones sunt, quæ æternæ nuncupantur veritatis, quibus falsum subesse nunquam potest: hoc concedere te mihi oportet. Jam expressa hæc verba nostro continentur symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis (loquitur de JESU CHRISTO) & Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine; passus & reliqua.*

Infero hæc verba ori omnium filiorum Adæ, quin ullum excipiam, & in omnium ore erunt vera. Quilibet eorum potest dicere: Tam certus sum JESUM Christum meam velle salutem, ut firmiter credam, & etiam ad

Symbolum fidei ostendit evidenter, quod Deus salvare velit omnes.

Si Deus prohibuisset homini custodire legem suam, quid accideret?

credendum me obstringam velut meæ articulum fidei, quod descenderit de cœlis, quod incarnatus sit, quod passus sit, quod eo nomine sit mortuus, ut meam operaretur salutem. An quidquam vehementius desiderari posset, quàm quando non parcitur nec laboribus suis, nec personæ suæ, nec bonis suis, nec propriæ vitæ suæ? Jam idem fidei symbolum, quod me obligat, ut credam esse Deum omnipotentem Creatorem cœli & terræ, rerum omnium visibilibus & invisibilibus, obligat me quoque, ut credam ipsum esse incarnatum, esse mortuum pro salute mea. Ecce quàm ardenti voluntate velit salutem meam; Ecce certitudinem, quàm de hoc habeo, cum non magis certus sim, esse Deum, quàm certus sum, ipsum me salvare vellet. Meum *Credo* docet me utrumque; & quia nec est unicuique homo ab Adamo usque ad novissimum, qui nascetur usque in finem sæculorum, qui dicere hoc non possit tantâ cum veritate, quâ ego; clarè video, verum esse, quod Deus salvare velit omnes homines; & nescio, an majorem de hoc certitudinem mihi dare posset Deus, quàm si id articulis meæ fidei annumeraret.

Verùm si hæc omnia sufficerent, nonne sat foret unicum

meum *Pater noster* ad confirmandam hanc mihi veritatem? Itane? ipsemet *Jesus Christus* doceat omnes homines appellare Deum Patrem suum & ex-
Pater noster clarè probat, Deum velle omnes facere salvos.
 poscere ab ipso regnum suum; & dubitare quis posset, quin omnes velut suos respiciat filios, iisque omnibus suam dare velit hæreditatem? Profectò si quisquam alius hanc invenisset orationem, dubitari poterat de ejusdem veritate & timeri, ne temeritatem redoleat, ita homines loqui ad Deum. Si quis fuisset ausus appellare Deum Patrem suum & ab ipso suum postulare regnum, affirmari potuisset: Hoc temerariæ votum est fiducia. Sed Deus ipsemet ita nos loqui edocuit, volens nec unicum esse hominem, qui ipsum non Patrem agnoscat & appellet suum, suumque ab ipso efflagitet regnum æternum: An dubitari possit, quin voluntatem habeat conferendi id omnibus, & quòd ipsi sit animus exspoliandi illo vel unicum ex parte suâ?

Si bonus quispiam Pater plures habeat filios, sitque facultas ipsi omnes reddendi beatos: An eliget ex ipsis aliquos, ut constituat ipsos Principes & attollat ad solia; & alios, ut faciat ex ipsis mancipia & deprimat in ergastula, reddatque ipsos miserabiles? Quid veri cor Patris re-

Bonus Pater nullum excludit filium ab hæreditate suâ.

kkkk 3

spon-

um
endit
er,
eus
velit

spondet ad hoc? Adstipulatur huic tenerrimus vere matris affectus: Non est vel unica, quæ non dicat, quod illa in Evangelio: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam & unus ad sinistram in regno tuo*; adeoque præter hanc nec unica est, nec sola, quæ filiis suis non exoptet sceptræ & solia, & voveat unicè ipsos omnes esse beatos. Et hinc est, quod JESUS CHRISTUS tam luculenter argumentetur in Evangelio, ut obstinatissimum quemque cogat fateri, verum esse, quod salvare velit Deus omnes homines. Siquidem dicit ipsis: Si vos Patres terrestres tantæ in filios vestros estis bonitatis, ut nec unicum velitis vestris excludi beneficiis; quid existimandum est de infinitâ Patris vestri cœlestis bonitate, respectu cuius omnis vestra bonitas, quantumvis maxima, non nisi malitiæ insigniri meretur nomine:

LUC. II.

Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.

Præceptum amandi proximum probat, Deum salvare velle omnes homines.

Omnes homines nonne sunt Filii Patris cœlestis? Nonne creavit illos omnes ad suam imaginem? Nonne ab illis omnibus vult nuncupari pater, & exquiri regnum suum? Sed quare tam disertè præcipit nobis, ut diligamus eos sicut nos ipsos? Quia omnes sunt fratres nostri. Et

coûsque magnum hoc fraternæ charitatis præceptum extendit, ut omnes indiscriminatim includat homines, infideles & barbaros, & etiam ipsos, qui nos oderunt, quin permissum sit nobis vel unicum excludere hominem ab amplexu charitatis nostræ: siquidem obligamur amare illos omnes, id est, velle & desiderare omnibus beneficia à Deo, & vitam æternam. Talis est voluntas Dei, & hoc est præceptum indispensabile, quod proposuit nobis in lege suâ. Et ex hoc mihi quoque argumentari & efficaciter probare licet, quod Deus omnes salvare velit homines.

Siquidem si præcipit nobis, ut erga ipsos geramus amorem tam amplum, tamque universalem, ut desideremus illis omnibus vitam æternam; an dubitare possumus, quin amor ipsius incomparabiliter sit major nostro? si prohibet nobis vel unicum excludere hominem ab amplexu charitatis nostræ, an cogitare audeamus, quod aliquem excludere velit à suæ amplexu dilectionis? An vellet nobis plus bonitatis esse, quàm sibi? Si omnes homines sunt fratres nostri, nonne quoque sunt ipsius filii? Opus nobis fuerat lege, quæ obstringeret nos ad amandum omnes fratres nostros; sed nunquam expressa lex posita est patribus,

tribus, suos amandi filios, cum tali opus non fuerit. Natura efficiendo ex ipsis patres, eveleret illis è corde erga suos amorem filios cujusdam specie necessitatis, nisi promptæ voluntatis hunc darent affectum. Sufficit ergò videre me, quod Deus induat affectum patris erga homines, ut inde deducam ipsum omnibus dare velle vitam æternam.

Fundamenta solida ad credendum, Deum velle salvare omnes homines.

Quid inquis ad hæc, Domine Doctor, replicat Theonæ? Tota mea scientia non consistit nisi in quatuor verbis, naturâ, lege, fide, oratione; sed his tam firmiter, tamque indubitanter inhæreo ut neque, tu neq; ullus quisquam in mundo convellere poteritis firmam, quam teneo, fidem, quâ credo, Deum omnes salvare velle homines: nec quidquam me movent omnes tuæ argutiæ, sed nec ipsas timeo: Mihi abunde satis est, nôsse mandata DEI, quæ securè deducunt me in cælos, si observem & custodiam ipsa; meumque *Credo*, quod me certificat, *Jesum Christum esse mortuum*

pro salute mea; certus ergò sum, quod velit illam; meumque Pater noster, ubi appello Deum Patrem meum & efflagito ab ipso regnum suum: Vivo firmissimâ plenus fiduciâ, quod Pater tam bonus, qui me velut suum respicit filium, ardeat desiderio mihi conferendi id ipsum. Et hoc, quod verum est pro me, verum quoque est pro cunctis hominibus. Certum est igitur, Deum velle salutem omnium: Credo id firmiter, & fidei meæ fundamenta teneo convelli non posse.

Doctor, qui videbat, habere se nihil, quod reponat argumentis quidem simplicibus, sed solidissimis Theonæ, voluit ab his ipsum abstrahere, & incipere sermonem de decretis æternis DEI, & voluntate ipsius absolutâ & conditionatâ. Sed quia materia hæc transcendebat ipsius captum, bonus noster Ecclesiasticus, verba assumit ad respondendum Doctori. Et ecce tibi, quid invicem habuerint colloqui.

ARGU-

ARGUMENTUM.

Ardens zelus, quem Iesus Christus ostendit erga salutem nostram, demonstrat evidenter, salvare ipsum velle omnes homines.

ARTICULUS. III.

DOCTOR noster mentis suæ ar-
mamentarium instruxerat
plurimis textibus selectis ex san-
cto Augustino, sancto Prospero,
& aliis, circa quos suos forma-
verat locos communes in om-
nem eventum expeditos, spe-
ciosissimis conceptos verbis,
certis interstinctos argutiis, leno-
cinantibus curiositati, locuple-
tatos etiam nonnullis antiqua-
rum Ecclesiasticarum consuetu-
dinum notis, quæ haud parum
ostendebant eruditionis, verum
interruptos singultibus & suspi-
riis, velut in Musica, inter quos
sublatis in cælum oculis oportebat
pronuntiare per intervalla,
magnâ quâdam cum suavitate:
*O Altitudo! & insinuare ab initio,
quod pauci intelligant mysteria gratia,
quod declarari non possit imperium
illius in animas, quando hæ facta sunt
mancipia peccati, quodque status natu-
ræ corrupta: & plura ejusmodi.*

Disputandum non est de rebus, quæ de-
cise sunt per fidem,
Disponebat ille ad proferen-
dum mira, sed pius noster &
doctus Ecclesiasticus è vestigio
ipsum coercuit, ipsique dixit:
Domine, non est tempus disce-
ptandi, ubi pronuntiata est sen-

tentia in supremo, unde appel-
lare non licet, iudicio. Omnes
nostræ controversiæ diremptæ
sunt per oracula Ecclesiæ: Non
est amplius vel quæstio, vel o-
pinio, sed est articulus fidei, quod
Iesus Christus sit mortuus pro
omnibus; est articulus fidei,
quod velit salvare omnes; quod
nulli desit gratia ad custodien-
dum mandata divina: Non ad-
mitte gratiam sufficientem, si
velis, modò concedas mihi id,
quod est certissimum, omnes
habere gratiam plusquam suffi-
cientem: Siquidem misericor-
diæ DEI majores sunt, & Iesus
Christus liberalior est in suis e-
largiendis gratis, ad salvandum
animas pauperum peccatorum,
quàm tibi imaginari possis.

Est articulus fidei, quod Deus
neminem velit damnare, quod-
que omnes ii, qui pereunt, ipse
met sint causa damnationis suæ,
eòquod resistant gratiæ, quæ no-
stram sollicitat, sed non neces-
sitat libertatem. Vide, circa
quod disputandum non sit, cum
non sit apex doctrinæ, de quâ
disceptare liceat, sed apex fidei,
quæ

quæ non requirit nisi submissionem & captivacionem intellectûs ad recipiendum illam. Non nisi hæretici sunt; qui audeant illam oppugnare, eòquòd declarati sint inimici veritatis Catholicæ. Oportet captivare, mi Domine, oportet captivare intellectum in obsequium fidei.

Quàm facile sit creditu, Jesum Christum esse mortuum pro omnibus.

Sed inmeritò tibi dixi, quòd oporteat captivare intellectum suum ad credendum firmiter, quòd copiosa sit Redemptio Salvatoris, quòd misericordiam exhibere velit omnibus peccatoribus, & salvare illos omnes, quòdque hoc maximum ipsius sit desiderium. Non putem opus esse captivacione intellectûs, ut credam hoc; sed invenio potius opus esse illâ, ut credam oppositum; & si quis urgere me vellet ad amplectendam fidem, quæ mihi videtur tam crudelis, tam sæva in omnes, tamque injuriosa infinitæ bonitati DEI, nescio, quâ ratione submittere me possem.

Ex opposito nil video, quòd requirat, ut me captivem, vel minimam mihi vim inferam, vel urgeam intellectum meum ad credendum, quòd JESUS CHRISTUS summæ sit bonitatis ad exhibendum misericordiam cunctis miseris, & desiderandum verâ voluntate, ut nec unicus sit peccatorum, qui exclusus maneat à magno Redemptionis hu-

manæ beneficio. Hæc fides, quæ consolatur, quæque extimulat omnes ad amandum JESUM CHRISTUM tam est conformis infinitæ bonitati amabilissimi nostri Redemptoris, & ardentissimo zelo, quo conflagare ostendit cor suum erga salutem nostram, ut omninò manifesta sit mihi & evidens: Intueor illam, judicio meo, clarè, de illâ dubitare non possum, fata subire paratus pro hæc veritate.

Siquidem ô Deus! quando intelligo, quâ ratione loquatur nobis de passione suâ: *Baptismo*, dicit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur?* Luc. 12. v. 50. Certum est secundum omnes patres, ipsum non loqui de Baptismo aquæ, quem receperat in Jordane, hic enim jam erat adimpletus; sed loquebatur de Baptismo proprii sui sanguinis, quo tingendus erat in Golgothæo ver-

Ardens desiderium, quod JESUS CHRISTUS habebat moriendi, ostendit ipsum mortuum esse pro omnibus,

helat diem & mortis suæ horam, quam velut pœnarum suarum aspicebat refrigerium: *Quomodo coarctor, donec perficiatur?* Hic loquendi modus benè demonstrat, ipsius angustias nullo potuisse sermone explicari.

Albertus
Magnus.

Hinc est, quod sanctus Albertus Magnus ex aspectu tanti ipsius amoris totus attonitus exclamet: *Viden animi cruciatum ipsius, qui redundat in ipsum ex charitate suâ; & hæc desideriorum ipsius vehementia tam ingens ostendit nostræ desiderium salutis, ut suam cum gaudio ipsum faciat aspicere crucem, velut momentum benè auspiciatum, quo parere debeat salutem hominum.* Nonne dicendum sit, charitatem hanc esse, quæ nullis arctetur limitibus? Sed nonne digna est illo, qui ipsam in suo gestavit corde?

Quæro jam, an cogitari possit, quòd, cum tanta fuisset in corde ipsius charitas, tantòque accensa affectu, illam tam parvam reddere voluerit in suo effectu, ut limitaverit ipsam ad parvum duntaxat Electorum cœtum, qui nonnisi pugillus est mundi respectu cæterorum. Tam ingens amor an amaverit nonnisi illos, & erga reliquos induruerit, sævitiemque induerit homines? Tam ampla charitas, quæ se arctatam, compressam, & quasi nimium angustam exceptam conquerebatur cordis sui diversorio, quoad obtentâ

libertate erumpens latissimè se diffunderet super omnes hominum miseras, constrinxerit & arctaverit semetipsam ad exiguum & parvum valde animarum numerum, cæteris omnibus suum denegando auxilium? *Quomodo coarctor?* ut quid tantâ adhuc me vi arctatum tenetis? ut quid tam angusto me constringitis ergustulo? Ut quid amorem meum tam parvo concluditis limite, vos qui dicitis, me mortuum non esse pro omnibus, nec omnes me velle salvare homines.

Hoc erat constringere Doctorem, qui contrariæ erat opinionis: hinc cohibere se non potuit, quin uno vel altero interpellaret verbo: Verum si Deus omnes salvare voluit homines, ut quid ergò non omnes reipsâ salvi fiunt? Quis enim resistere ipsius potest voluntati? Nonne scriptum est: *Omnia quacunque voluit, fecit?* Sed responsio Ecclesiastici æquè brevis, sed fortior erat objectione. Verum est, inquit ipsi, quod voluntas DEI sit omnipotens, quòdque omnia, quæ velit, faciat, quando res non dependet, nisi à solâ ipsius voluntate; sed quando requiritur concursus alterius voluntatis, cui reliquit libertatem sibi resistendi, non semper facit omnia, quæ vult, eòquòd hæc alterius voluntas non semper con-

Psal. 113.

Quare, cum
Deus velit
omnes sal-
vari, non om-
nes salventur.

603-

cordet cum sua. Vult omnes homines salvos esse, & tamen omnes salvi non fiunt, quia plurimi eorum esse nolunt. Exin declarare perrexit admirabilem zelum quem Jesus Christus ostendit erga salutem nostram, qui evidenter demonstratur, quod mortuus fuerit pro omnibus peccatoribus, velitque salvare omnes.

Leontius Episcopus Cypri.

Sanctus Joannes Eleemosynarius convertit certum quendam Petrum Nummularium, sicut scribit Leontius, Episcopus Cypri in vita ipsius: sed conversio hæc fuit, quæ commutavit ipsum totum in charitatem erga pauperes: induit is ipsum eodem suo spiritu, ipsique tantam inspirat æstimationem faciendæ eleemosynæ, ut, postquam omnes suas facultates distribuit pauperibus, nec minimam quidem sibi parte relicta, experitur auxilium se suæ thesaurum charitatis: hæc urgebat ipsum, ut ipsum se daret & donaret pauperibus: patiebatur tantum, dum pati videbat miseros, quod non posset consolari eos, ut ad liberandum se ipsum ab hac poenâ, quam amplius non poterat sufferre, dixerit servorum suorum uni: Eamus in Jerusalem, & cum ibi fuerimus, volo, ut primo me Christiano, qui emere me volet, vendas, & pretium, quod recipies, distribuas pauperibus.

Exemplum admirandum charitatis erga pauperes.

Servus inusitato & nunquam audito ejusmodi mandato, ex ore Domini profecto, & bono famulo haudquaquam observando exterritus, excusat se, moremque gerere se posse negat. Sed Petrus serias ipsi intentat minas: Ni vendere me volueris Christiano meque dono dare pauperibus, sicut tibi præcipio, ego vendam te barbaris, idque certo certius faciam, nisi obtemperaveris mihi: famulus tum tremens, tum gemens obtemperat, triginta ipsum vendit aureis, illosque dispertitur pauperibus. Hoc dicitur exploratum habere Evangelium, & accensum esse vero spiritu charitatis Christianæ. Relinquo tibi expendendum, an, si hic vir immensas habuisset divitias & thesaurum inexhaustum, dimittere voluisset vel unicum pauperem in hoc mundo, cui suum impendere auxilium noluisset?

Hoc super facto ita discurro respectu Christi Jesu: Certum est, charitatem hujus hominis, quæ stupenda nobis videtur, non fuisse nisi glaciem & duritiem in comparatione cum illâ, quæ ardebat in corde benignissimi Salvatoris hominum: certum est etiam, quod, cum miseriam, quibus premebantur pauperes, comparari non possint cum miseris infinitis omnium peccatorum, compassio, quâ tangebatur

Quantum charitas Jesu Christi superet illam omnium hominum.

tur charitativus hic vir, procul abfuerit à compassione infinita, quæ emolliebat, quæ movebat, quæ urgebat, quæ transfigebat, quæ torquebat cor JESU Christi, ut suis relevaret gratis summas ac horrendas omnium peccatorum miseras. Verùm hic homo non habebat thesaurum infinitum, unde & quamprimùm exhaustus erat, isque coactus, ut suæ satisfaceret impulsui, ac stimulo charitatis, ad vendendum semetipsum &tribuendum se pauperibus. JESUS Christus autem infinitum habet gratiarum thesaurum, qui exhauriri non potest.

Quare JESUS Christus vendi voluerit. Et nihilominus, ut ostenderet, quod desiderium, quo tenebatur relevandi omnes miseras peccatorum, & ipsos salvandi omnes, in infinitum, si ita dici potest, ulterius progrediatur: cum infinito suo thesauro adhuc acquiescit & consentit, ut vendatur, & velut elemosyna egenis, donetur peccatoribus. O charitas immensa! O bonitas plusquam infinita! quam infelix est, qui solum cogitare audet, te ad omnes non extendit peccatores, te passam non esse pro omnibus, te voluntatem non habere salvandi omnes. Audi, quid pudorem incurrere debeat omni, qui formare vel minimam ausus fuerit cogitationem, quod JESUS CHRISTUS vel unicum pec-

catorem excludere voluerit à beneficio mortis suæ.

Non latebat ipsum execrandum consilium, quod proditor Judas formaverat in corde suo, quodque obluçantibus frustra copiosis jam in ipsum effusis gratiis, & ut se converteret, adhuc effundendis, in obstinata se vendendi perstiturus esset voluntate. Et quia infinitæ bonitatis DEI triumphus est, magna bona extrahere posse è maximis hominum malis (quando permittere ipsorum commisionem debet, ne illorum cogatur vel lædatur libertas) utitur maledictâ hæc Judæ voluntate ad ostendendum nobis ardentissimum, quo flagrabat desiderium, moriendi pro nobis, nostramque operandi salutem.

Ad vesperam cœnæ luculentissima amoris sui præbens argumenta, dum corpus suum, & sanguinem suum suis dabat Apostolis, & in ipsis toti suæ Ecclesiæ, illud negare non voluit ipsi etiam Judæ, propriâ suâ manu omnem infinitum gratiarum suarum thesaurum inferens usque in ipsa cordis sui penetralia. Sed videns his omnibus magis adhuc ipsius obdurari cor, dicit ipsi: *Quod facis, fac citius.* Joan. 13. Quandoquidem me vendere tibi est animus, quantocyus me vendere para & accelera.

Sanctus Bernardus considerans

Sanctus Bernardus de Coena Domini. Serm. 3.

Affectus S. Bernardi circa id, quod Jesus Christus urserit Judam ad vendendum se pro nostro modo.

rans hæc verba totus solvitur in dulcorem, totumque colliquefeit cor ipsius amoris sui teneritudine; dum inquit: O amor interminabilis, & charitas inestimabilis, & dilectio inscrutabilis! Quod facis, fac citius: illud cupio, illud desidero, illud quero, ad hoc veni in hunc mundum. Quod facis, fac citius. Vis me vendere Judæis? volo vendi: Vis tradere? volo tradi: Vis, ut crucifigat? Volo crucifigi: Ut occidat? Volo occidi; hoc amo, hoc affecto. Quod facis, fac citius. Sed Jesu vita mea, totum desiderium meum, dulcedo non fallax dulcedo felix, dulcedo delectabilis, dulcedo gloriosa, decus Angelorum, splendor & gloria Sanctorum, quantum eos diligebas; pro quibus mori cupiebas? Nobis vitam, tibi mortem affectabas. O miserum me, quem hætenus tam nequiter offendi. O dilectissimi fratres, animadvertite, sedulâ cogitatione pensate, quantum est amandus, quantum diligendus, qui pro nobis est talis & tanta opprobria passus, qui se tradentem ad mortem sic hortabatur, dicens: Quod facis, fac citius.

Sed ô amantissime Deus! an statuamus nos limites tantæ, tamque ingenti charitati, animo persuasi, non voluisse ipsam facere bene nisi exiguo hominum numero? An eodumque non amet hos ipsa, ut voluntatem habeat illos omnes salvandi. Quando audio magnum Apostolum dicentem mihi: Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus,

Christus pro nobis mortuus est; ubi S. Thomas dicit, in nullo nisi in Jesu Christo visum esse, quod unquam aliquis sit mortuus pro impiis inimicis suis. Sed ego ita argumentor.

Certum est, quod si non mortuus esset, nisi pro uno solo, maxima semper charitas fuisset; sed si suos hic habuisset limites, ille qui mortuus esset pro duobus, habuisset charitatem sesqui alteram, & dimidiâ parte majorem; & qui mortuus esset pro centenis, habuisset illam majorem fuisset numerus, pro quibus esset mortuus; tantò major etiam ipse fuisset charitas. Ah sciam! ô mi Jesu, quanta sit charitas tua ex eorum, pro quibus mortuus es, quosque salvare desideras, numero: Ipsa infinita est, pro omnibus diceret mihi, nullis clauditur limitibus; non solum sese extendit ad omnes, quos orbis numerat, peccatores, sed transgreditur illos; Non tantummodo mortuus sum pro omnibus; sed si innumerabilis fuisset aliorum peccatorum numerus, mortuus fuisssem pro eis, & salvare voluisssem illos omnes. Et hinc S. Paulus nuncupat ipsam nimiam; Propter nimiam charitatem vere nimiam, inquit S. Bernardus, quia & mensura excedit, modum superat, plane supereminens universis. Verum est, ipsam nimiam non esse pro

Gradatio, quâ ostenditur, Jesum Christum mortuum esse pro omnibus peccatoribus.

LIII 3

Deo,

Rom. 5. v. 8.

Judam, vendat.

13.

Deo, cum nonnisi conformis sit ipsius magnitudini; sed nimia est pro nobis, cum infinita ratione transcendat apud nos, & numerum peccantium & magnitudinem ac enormitatem criminum, & modis omnibus. Ubi est ergo cogitationum nostrarum fatuitas si credamus, ipsam nonnisi se extendere ad parvum & tenuem peccatorum numerum.

ARGUMENTUM.

Continuatio precedentis materiae, in qua probatur, quod amor ardens Jesu Christi obstinatissimos quosque convincere debeat, ut agnoscant & fateantur ipsum salvare velle omnes, & mortuum esse pro omnibus.

ARTICULUS IV.

Magna charitas Jesu Christi, dum moritur pro nobis.

SI Pater æternus petiisset à Jesu Christo: Fili mi, volo ut præbeas mihi notam, quam poteris, manifestissimam infiniti tui erga me amoris; quid ulterius facere potuisset, quam quod fecit pro nobis, sacrificando se pro ipsius gloriâ, & subeundo mortem tum pœnosissimam, tum probrosissimam, quæ excogitari possit in mundo? Si quidem majorem hanc dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Sed S. Bernardus debita ipsi dicit cum reverentia: *Tu majorem habuisti Domine, ponens eam etiam pro inimico: tu pro impiis passus es, moriens propter delicta nostra, qui venisti justificare gratis peccatores, servos facere fratres, captivos cohæredes, exules reges.*

Si vitam tuam dedisses pro divino Patre tuo, dedisses illam pro amico tuo, & amico infini-

tâ ratione digno; sed dedisse illam pro nobis, qui eramus inimici tui & parvi abortus nihili: quis diffitebitur hoc longè admirabilius esse illo? Hoc namque erat, fecisse ipsum plus pro miseris nobis peccatoribus, quam fecisset pro Deo Patre suo. Jam certum est, ipsum impensurum fuisse pro divino Patre suo omnem infinitam charitatis suæ amplitudinem. Et posthæc ponderemus, an credibile sit, ipsum hanc restringere voluisse respectu nostri, vel habuisse animum frustrandi eam maximam partem hominum.

Hic Doctor, qui non movebatur vel minimum, quia staterat secum à conceptâ opinione non retrahere animum (uti in more est geniis obstinatis, qui pro eo, quod ponderent rationes sibi allatas, ne dignantur, qui-

Joan. 15.

S. Bernardus
Serm. 4. fer.
4. hebdom.
sanctæ.

quidem eas aspicere) nil cogitans, nisi quomodo arceret à se omnia, à quibus aliquantisper moveri poterat, & inveniret, quid rationibus tam æquis & solidis pii hujus Ecclesiastici reponeret, interpellat ipsum, ipsique dicit: Hem Domine mi, falleris, comparationes tuæ admitti non possunt, plus æquo enim aberrant, & nimio plus claudicant. Itane? ut persuadeas nobis, Jesum Christum salvare velle omnes homines, & mortuum esse pro omnibus peccatoribus (etiam pro ipsis damnatis) dicas nobis, quod videatur plus fecisse pro illis, quam fecisset pro Deo Patre suo. Quæ comparatio est hæc? An credas, te sic loquendo multum honoris præstare Jesu Christo? An excessu ejusmodi ipsum putes oblectari?

Non nisi excessus observantur in Jesu Christo quando agitur de patientia pro salute nostrâ,

Ita credo, respondet Ecclesiasticus, magno cum Spiritus fervore: nihil enim video, nisi meros excessus in ipso, quando agitur de bonitate, quæ fertur in omnes peccatores; non video, nisi excessus, quando loquitur de ardenti desiderio, quo flagrat, patiendi pro illis. Nunquam splendidiori conspectus est in statu, quam in Thaboræo vertice. Nôsti, quid asserat de hoc sacer codex Evangelii, quodque S. Petrus tunc ibi præsens, ita affusus & obtusus sit magnis, quos intuebatur, splendidioribus,

& ita dulcoribus, quos gustabat, inebriatus, ut crederet se esse in paradiso. Et sanè erat species quædam convivii & epuli cujusdam apopemptici extraordinarii, quod Jesus Christus instruxerat sibi ipsi. Sed quænam ipsius magis exquisita erant fercula? in quibus majores suas capiebat delicias? Nonne in his, quæ faciebat, verbis de pœnâ ac morte, quam subiturus erat in Jerusalem pro peccatoribus? Eo nomine vocavit & invitavit geminos suos amicos intimos Moysem & Eliam, ut de illâ colloqueretur cum eis, ipsosque in gaudii sui admitteret societatem; Et ibi loquebatur nihil nisi de excessu: *Et dicebant excessum ejus:* Sed qualem excessum? Omnes Doctores consentiunt, non alium hunc excessum esse, nisi in quem abripiendus esset ab incomparabili suo amore, in magno Redemptionis humanæ opere, quod completurus erat in Jerusalem.

Luc. 9.

Excessus erat bonitatis profundens vitam Dei ad redimendum peccatores, qui considerati ut tales, minoris erant, quam minimus terræ vermiculus. Excessus erat misericordiæ, quæ reperiens homines suis indignos gratis, dignata est nec unicum quidem spoliare infinito sanguinis sui & meritorum suorum pretio. Excessus erat zeli pro salute illorum, qui cum satisfacere posset

posset superabundanter actionum suarum minimam, exantlare voluit tot bona, tolerare voluit tot mala, ut inexhausto redemptionis thesauro centies milenos mundorum miliones potuisset redimere. Tandem Iesus Christus, Moyses & Elias, lex, Prophetæ, Evangelium non loquuntur, nisi de excessu, in quem abreptus & Salvator pro Redemptione infelicium peccatorum; Et tu me arguis, quod loquar de eo cum excessu nimio, & quæris, an credam me glorificare Iesum Christum; dum in hunc abripior excessum. Ita, Domine, non credo me unquam nimis exaltaturum vocem meam ad cantandum excessum misericordiarum divinarum; Ita credo, illas nullis constringi & arctari limitibus; utque credam, illum excludere voluisse vel unicum miserum peccatorem ab infinita charitatis suæ amplitudine, impossibile est mihi: ipse miseretur omnium, ipse amat omnes, ipse moritur pro omnibus, ipse omnes vult salvare. Ecce tibi fidem meam.

An erant in mundo homines magis digni, qui privarentur fructibus passionis Iesu Christi, quam qui maxime ipsius erant rei, satellites configentes ipsum cruci? Effusio ipsius sanguinis, quæ constituebat maximam cæterorum hominum felicitatem,

erat ipsis nefandissimum; quod committere poterant, crimen. Nonne consentaneum erat æquitati, ut suam è crimine suo proprio non traherent salutem; ut non amarentur ab eo, quem usque ad necem lethali prosequerentur odio; utque sanguis unigeniti Filii DEI, quem effundebant impietatum omnium maximam, clamaret adversum eos, & non pro illis? Quis diffitebitur, quod, si peccatorum nonnulli privandi forent fructu passionis Domini, hos esse oporteret, vel nullum omnino? Et nihilominus is mortuus est pro ipsis, admisit ipsos in partem gratiarum suarum, voluit & desideravit salutem illorum; & ut de hoc nullus ambigendi nobis relinqueretur locus, elatâ voce rogavit pro illis in cruce, & plures ipsorum commoti sunt atque conversi; *Et revertebantur tundentes pectora sua*, sacro id attestante Evangelio. Si illi exclusi non sunt ab universali beneficio Redemptionis humanæ; quinam sunt ergo, quos excludere ab eo Iesus Christus concluderat animo?

Nihilominus, inquis, plures & plerique homines privantur illo & damnantur in æternum. Verum est, sed ne dicas Iesum Christum esse, qui privet ipsos: longè is abest ab eo, cum mortuus sit pro illis ac illorum velut salu-

Quia Iesus
Christus mor-
tuus est pro
suis crucifixo-
ribus, mortuus
est pro omni-
bus peccato-
ribus.

Luc. 22,
v. 42.

salutem: dicas autem ipsosmet esse, qui voluntarie ex malitia sua se privent illo, nunquam non proterve ipsius resistendo gratia. Siquidem an dubitare possumus, quod, cum omnes animas hominum tam perfecto amet amore, ut mortuus sit pro illis, coram habens illas, & unquamquamque aspiciens in particulari, tantam contentione invigilans ipsi, quasi non nisi sola ipsa esset in mundo? An inquam dubitare possumus, quin conferat illis omnibus gratias interiores, quibus praveniat & excitet illas, quamvis nihil earum nostrum subeat conspectum?

Quis novit, quid agatur in corde tuo, nisi tu ipse? & quis nosse potest, quid agatur in corde alterius, nisi ille ipse? Et quis cognoscere potest arcana DEI, & stupenda providentiae ipsius circa directionem animarum consilia? Non judicandum est de his secundum exteriora, cum omnia agantur intus in anima. Videmus quidem non omnes esse Christianos, non omnes recipere sacramenta, plures esse infideles, plures hereticos, plures barbaros & homines sylvestros. Si judicemus secundum exteriora, videtur mundus vix habere partem cum Jesu Christo, eoque quod plerique in illo non agnoscant ipsum; sed

quid scimus, quid operetur clam in animabus illorum? Cum certissimus, quod omnes illas creaverit ad imaginem suam, quod omnes redemerit pretioso sanguine suo, quod amet illas, quod ipsarum velit salutem. Nonne æquius, & certius ex his veritatibus, quas fides docet, concludendum sit, quod illis suas largiatur gratias, quamvis earum videamus nihil: quam quod judicemus, quod illis largiatur nullas, cum nihil earum videamus.

Nonne novimus, quod Jesus Christus suos miserit Apostolos in omnem terram, illisque manifestum dederit mandatum predicandi Evangelium omni creaturae? Et ut illis modum & medium suggereret in opus deducendi magnum hoc mandatum, misit illis Spiritum Sanctum, qui illos animans divino suo igne, ut intrepidus redderet ipsos ac infatigabiles, largitus est quoque ipsis donum linguarum, ita ut facile loqui possent omnium populorum totum terrarum orbem inhabitantium propria lingua, nativo idiomate. Quid hoc sibi vult, nisi quod voluerit, nec unicum duntaxat hominem esse in mundo, qui non illustretur suae lumine cognitionis, qui particeps non fiat gratiarum Redemptoris.

Nonne semper & cunctis temporibus perrexit novos ubivis

Mmm

gen.

Deus largitur gratias interiores animabus omnium hominum.

Deus mittit Apostolos in omnem terram, ut lucretur animas peccatorum.

Jesus
us mor-
est pro
ucifixo.
mortuus
o omni-
peccato.

gentium mittere Apostolos & Missionarios magis barbaris, magis remotis, magis perditis ultra mare nationibus? Nonne hoc ostendit, quod ubivis inquirat peccatores, ubicunque & quicunque sint? quod mortuus sit pro omnibus, ipsorumque desideret salutem. Ipsemet dicit, se esse lucem mundi, esse solem, qui ubique diffundat splendores suos, & neminem esse, qui abscondere se possit a calore suo. Et ecce tibi adimpletum vaticinium Isaia, loquentis de Jesu Christo: *Noli timere, quia ego tecum sum: Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da: & Austro, noli prohibere: asser filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terra.* Hæc veritas, quæ tam manifesta tamque evidens mihi est, ac plena meridies, palam evulgar, Jesum Christum universalem esse Salvatorem omnium peccatorum, ipsum mortuum esse pro omnibus, omnium velle salutem, & consequenter omnes obligari, ut ipsi se totos devoteant, ipsi serviant, ipsum ament ex totâ animâ suâ. Non nisi infernus est, qui perdere contendit animas, quas salvare Redemptori est animus; ipse est, qui excitat hereticos, qui oppositum persuadeant mundo.

Divine Paule, asserere, quid sen-

tias; vel saltem permittite mihi tua, quæ scripsisti ad Ephesios, hic annotare verba: Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis virtutem per gratiam Spiritus Sancti, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, *qua sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum.* Sanctus Paulus dictis his verbis hæret, nec absolvit suæ sensum periodi; sed quâ ratione inveniat verba ad absolvendum ipsum: aperit is nobis ingentes quatuor abyssus, quæ absorbeant omnem animum ipsas considerantem. Vult enim dicere: An videre poteris absque virtute divinâ & absque speciali Spiritus Sancti gratiâ, quænam sit magnitudo misericordiarum Jesu Christi, & quantus gratiarum, quas cunctis offert peccatoribus, sit thesaurus? Aspice ipsius latitudinem, attende ipsius longitudinem, considera ipsius sublimitatem, pondera ipsius profunditatem.

Quænam ipsius est latitudo? Quis recensere possit, quousque extendant se divini hujus thesauri gratiæ? An solum ad omnes homines, qui fuerunt in mundo, qui modò sunt, quique futuri erunt post nos per omnem sæculorum seriem? Nimis hoc parum est pro eo, ut ipsius exhaustantur divitiæ; lon-

Ephes. 3.

Quatuor
mensure abs-
que mensurâ
misericordiarum & gratiarum Jesu Christi,

Latitudo.

gè

gè major ipsius est latitudo. Nam si DEUS intenderet omnes omnipotentis brachii sui vires, ad educendum è nihilo decies centena millia aliorum mundorum, immò totidem milliones, & tantos, quantos voluerit, hincque omnes maximis scaterent peccatoribus: ipse tamen plures possideret gratias, quam opus esset sanctificandis illis omnibus, & thesaurus ipsius nondum exhauriretur. Quis igitur ipsius comprehendere possit latitudinem? Nemo nisi Deus comprehendere ipsam potest; cum extendatur in infinitum. Quanam est ergò ipsius longitudo? Non me latet, quòd JESUS CHRISTUS nuncupetur in sacris literis agnus, qui occisus est ab origine mundi, quòdque jam tunc ipsius passio fuerit operata, ac gratiæ ipsius distributæ hominibus cunctis à creatione mundi, nec cessaturus sit dividere ac impertiri illas usque ad consummationem sæculi. Verùm estne hæc tota ipsius longitudo? Non: siquidem non tantum amare nos incepit à creatione mundi, & non desinet etiam amare nos, post mundi consummationem; sed ab instanti æternitatis suæ, à formato moriendi pro nobis decreto, magis amavit nos propriâ vitâ suâ, nobisque copiosas disposuit & præparavit gratias. Ipsemet declarat id nobis: *In charitate perpetuâ di-*

lexi te; & ineffabilis hæc charitas dominabitur in corde ipsius in omnem æternitatem. Ecce ergò tibi ipsius longitudinem, sed quis comprehendere hoc possit? Nemo nisi solus Deus; cum abyssus sit omni carens fundo.

An igitur benè capies, quam sit ipsius sublimitas; quanta bonorum, quæ JESUS CHRISTUS humilitate passionis suæ acquisiuit nostræ animæ, magnitudo? An probè intelliges excellentiam gloriæ, ad quam ipsius gratia attollere potest ipsam? An assignare poteris tam sublimem, ut verum sit dicere: Omnes divitiæ gratiarum Redemptoris non possunt ipsam attollere altius? Non: siquidem S. Thomas tradit hanc doctrinam non minùs consolatione quam admiratione plenam: Juxta proportionem, quâ amor DEI crescit in anima, auget is etiam novam capacitatem recipiendi majorem amorem; & hoc obtento inveniet se de novo capacem ad recipiendum adhuc majorem; & nunquam hæc capacitas implebitur tota, sed semper augebitur; & quantum amor DEI excrescet in terra, tantum & excrescet gloria in cælo: hoc igitur procedit in infinitum, & est opus gratiæ JESU CHRISTI in animabus nostris. Quæ est igitur ipsius sublimitas? Et quis comprehendere

Sublimitas.

Logitudo.

Apoc. 13.
v. 8.

Jerem. 31.

M m m m 2

ipsam

ipsam potest? Nemo, nisi solus Deus: abyssus est, quæ fundum non habet.

Profunditas. Sed denique, quænam est ergo ipsius profunditas? Quænam est abyssus miseriarum, criminum, abominationum tam profunda, è quâ non poterit ipsa extrahere animas, ut attollat ipsas usque ad thronum Angelorum? Si in unicam animam collocares omnia crimina, quæ unquam sunt commissa, tum ab omnibus hominibus peccatoribus, tum à rebellibus Angelis; an gratia Jesu Christi penetrare & pertingere posset usque in ultimam & extremam hujus abyssi profunditatem, ad extrahendum inde illam? Posset hoc ipsa absque illo labore; & in hoc nondum consistit tota ipsius profunditas. Sed si congeminares profunditatem terribilis hujus abyssi tot vicibus, quot fuerint in hac animâ peccata; an gratia Jesu Christi posset adhuc pertingere illuc? posset id æquè facilè.

Ne contendas progredi ulterius, ut invenias ultimam profunditatis ipsius metam; nunquam enim attinges illam, cum habeat nullam. O quantas abyssus! ô abyssus incomprehensibiles!

Si igitur impossibile nobis est comprehendere magnitudinem misericordiarum & gratiarum Jesu Christi; ne timeamus, unquam nos locuturos de ipsâ cum excessu; sed metuamus, ne statuamus ipsi limites, & minimam animo nostro admittamus cogitationem, quòd mortuus non sit pro omnibus peccatoribus, & omnes non velit salvare homines. Doctòr quæ reponeret, non habuit, his omnibus, quæ abundè fuère satis, ad demonstrandum immensas divitias gratiarum Jesu Christi; sed ut magis adhuc attolleret ipsam, sapiens noster Ecclesiasticus, qui spiritalis valdè erat, adjunxit, quod sequitur, quo impositus est etiam finis consultationi.

ARGUMENTUM.

Opus splendidum ac magnificentum gratiæ Jesu Christi.

ARTICULUS V.

Omnes creaturæ constituant Chororum Musicum, decantantem laudes DEI.

Omnes creaturæ ab Omnipotente manu DEI productæ sunt voces, quæ producunt in publicum & evulgant ipsius

magnificentiam; sed ut componerent nobis Chorum Musicum, qui suavissimâ harmoniâ in æternum ipsius decantaret laudes,

des, disposuit & dispersit est omnes has voces in tres ordines sibi invicem subordinatos, ita ut altissimus gradus ordinis infimi sit infra totum ordinem secundum, & altissimus gradus secundi sit infra totum tertium. Tres hi ordines sunt, ille naturæ, qui tenet locum infimum; ille gratiæ, qui tenet medium; & ille gloriæ, qui tenet supremum.

Totus mundus naturæ decantat & annuntiat gloriam DEI.

In ordine naturæ, qui tenet locum infimum, qui que constituit velut *Bassum* in admirabili hâc musicâ, infinitas reperire est voces, quæ resonent laudes Dei, quantas nempe complectitur orbis creaturas, sive visibiles, sive invisibiles. O DEUS! quanta venustas! quanta dulcedo! quàm jucunda in innumera hâc multitudine vocum harmonia! siquidem non solum auscultabis ibi totam naturam corporalem, omnia elementa cum prodigioso hoc numero creaturarum, quas in se secundum diversas suas complectuntur naturas; non solum omnes cælos cum totâ astrorum suorum splendidissimâ pompâ; sed etiam omnes creaturas invisibiles, totam naturam spiritualem, Angelos & animas rationales, quorum numerus tam magnus est juxta opinionem sancti Thomæ, ut longè transcendat illum omnium creaturarum corporalium. Si omnium harum vocum consideres

varietatem, prodigiosa est; si ipsarum multitudinem, innumerabilis est; si ipsarum excellentiam, nihil nobilius est animabus rationalibus & Angelis. Et hæc omnia nihilominus considerata secundum suam naturam, ultimo deputata manent & subsistunt in Ordine: Verum est, hunc chorum suavissimum concinere melos, quod evulget magnificentias omnipotentis Creatoris mundi, quodque resonabit in omnem æternitatem: *Ipsè fecit nos, & non ipsi nos.* Ipse ^{psal. 99.} est, qui fecit nos ex nihilo: siquidem creaturæ sumus, quæ non fecimus nosmetipsas; nihil habemus, quod non accepimus ab ipso. Veruntamen hæc omnia nonnisi in infimo & abjectissimo collocata manent ordine, & constituunt nonnisi *Bassum* in hâc Musicâ.

Ascende in ordinem gratiæ, videbis ibi velut mundum alterum omnino elevatum supra mundum & ordinem naturæ, ita ut id omne, quod videtur minimum & planè novissimum in superiori hoc ordine, sit excellentius eo, quod videtur primum & excellentissimum in alio se inferiori; hoc est, quod minima gratia nobilior sit & majoris pretii supremo Angelorum omnium considerato duntaxat secundum naturam suam. Et ideo hic mundus gratiæ vocatur

Mmm 3 super-

supernaturalis, ut ostendatur nobis, ipsum omnem transcendere naturam.

Mundus gratiæ sublimiore voce decantat gloriam DEI.

In hoc mundo veluti in primo, innumeras quoque invenire est voces sono sublimiori decantantes gloriam & laudes DEI, tot nimirum dives vocibus, quot locuples gratiis. Sed harum quis numerum nōsse possit, cum nonnisi ex his compositus sit & fabricatus? Non reperitur hic nec terra, nec mare, nec elementa, nec plantæ, nec animalia, nec cœli, nec astra, nihilque omnino corporale; omnia hæc nimis abjecta sunt pro ipso; tota etiam natura spiritualis, cum Angelis animæ rationales considerata secundum naturam suam, eousque non pertingunt; hæc omnia sub suis tenet & premit pedibus. Non est ergo ipse compositus, nisi ex sanctitate, sublimibus perfectionibus, virtutibus, meritis, donis cœlestibus, gratiis sanctificantibus, gratiis actualibus, profundis DEI cognitionibus, purissimis amoris ipsius flammis, exercitiis pœnitentiæ, venustatibus innocentia, orationibus, sacrificiis miraculis, & omnibus iis, quæ intelligi possunt sub gratiarum supernaturalium appellatione. Et hæc constituunt ipsius cœlum, ipsius terram, ipsius elementa, ipsius plantas, ipsius astra, omnes partes ipsum componentes,

Si instituas comparationem inter duos hos mundos, illum naturæ & hunc gratiæ, mirificas in his annotabis differentias. Siquidem in primis mundus naturæ est opus creatoris, ubi omnes tres Personæ adorandæ Trinitatis, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, eadem simul sibi communi concurrunt omnipotentiam. Mundus gratiæ est opus solius secundæ Personæ, eoque hæc sola Incarnata sit, & non alia: ipsa sola est in statu, ut pati, ut mori possit pro salute hominum, & infinita ratione mereri pro illis: Mysterium Incarnationis non est completum nisi in illa; & quia mysterium hoc ineffabile origo est omnium gratiarum, omniumque entium supernaturalium, hinc verum est, quod totus mundus gratiæ sit opus solius secundæ Personæ, quæ est Iesus Christus.

Secundo mundus naturæ est opus omnipotentia DEI, qui omnia traxit è nihilo, abs eo quod steterit ipsi, nisi unico verbo. Sed mundus gratiæ est opus infirmitatis DEI, qui omnia traxit è proprio suo corde, sed non absque maximis impensis suis. Dico, quod sit opus infirmitatis DEI: quando enim Verbum æternum gratias nobis produxit & merita, nisi quando Incarnatum, infirmatum, annihilatum est

f. Quatuor pulchre differentia inter mundum naturæ & mundum gratiæ primus est opus totius SS. Trinitatis; alter solius secundæ Personæ.

2. Mundus naturæ est opus omnipotentia; mundus gratiæ est opus infirmitatis Dei.

Mu
tur
app
hab
len
ras
mu
tia

est pro salute nostrâ. Dico, quòd traxerit hunc mundum gratiæ è proprio corde suo : quodnam enim est aliud principium exquisitissimi hujus operis, nisi infinita, quæ in corde hujus Dei-Hominis, dominatur charitas? Neque enim Deus totus solus poterat mereri, neque Homo totus solus poterat satis mereri: oportebat esse Deum - Hominem, ut mereretur ratione infinitâ, nobisque produceret per hoc totum & integrum mundum gratiæ. Dico tandem, hoc opus itetisse ipsi plurimo : siquidem opus illi non fuerat unico duntaxat verbo, sicut Deo Creatori ad producendum universum mundum naturæ: sed ò DEUS! quot verbis, quot orationibus, quot laboribus, quot sudoribus, quot lachrymis, quot persecutionibus, quot ignominis, quot doloribus, quot totius naturæ afflictionibus, in quibus totum vitæ suæ exegit cursum, usque ad triginta omninò annos, per diu & pernox infatigabiliter laborando ad producendum nobis mundum gratiæ! & tandem proprâ suâ itetit ipsi vitâ?

Mundus naturæ non nisi apparentes habet excellentias, & veras vilitates mundus gratiæ e contra.

Tertiò mundus naturæ complectitur res, quæ magnæ videntur oculis carnis, & ut tales æstimantur à parvâ cognitione rationis humanæ: dum interim mundus gratiæ, qui totus invi-

sibilis est oculis corporis, & rationi humanæ incomprehensibilis, despicibilis videtur ipsis, eòquòd non cognoscant ipsum. At prorsus ex opposito anima illustrata lumine gratiæ clare prospicit: quàm vilis & abjectus sit mundus naturæ, cum nihil habeat, quod despicabile non sit, licet speciosis adornare se contandat apparentiis, eòquòd non possit, quidquid etiam faciat, vel unico momento promereri visionem Dei: omnes ipsius magnificentiæ, etiam quæ plurimum splendoris habent, infinitâ semper ratione distant ab eo; dum interim intuetur ipsa tot pulchritudines, totque sublimitates in mundo gratiæ, ut minima valore suo adæquet totam æternitatem possessionis DEI. Si enim anima comparens in iudicio DEI, nil comparasset sibi aliud, nisi quòd ultimum paraverit sibi locum in mundo gratiæ, ipsaque dives non esset, nisi unico, si ita loqui licet, gratiæ sanctificantis atomo, certa & secunda foret æternitatis beatæ. Quantum prodigium, quòd id, cui tantum vilitatis & abjectionis est coram oculis humanis, tantum habeat splendoris & æstimationis coram iudicio DEI, longè transcendens omnes magnificentias mundi, quæ fuerunt, quæ sunt, & quæ per cuncta erunt sæcula, ut

ni-

nihil hæ omnes possint illius promereri!

Nihil est, esse in mundo naturæ. Omnia est, esse in mundo gratiæ.

Et ex hoc quartam deduco differentiam, quod nihil proinde sit, existere in mundo naturæ, quemcunque etiam tenere quis possit locum, nisi extollatur altius, & insuper vivat in mundo gratiæ. Eheu! si esses solus totius imperator mundi, quam abjectum & depressum adhuc teneres locum; & si omnes possideres thesauros visceribus terræ inclusos, si expers fores gratiæ Jesu Christi, quam nihil adhuc haberes magni; nunquam non maneres inferior novissimo ex omnibus servis Jesu Christi, illius quasi calcatus plantis. An ignoras philosophicam illam paroemiam, quæ se quotidie nostris exhibet oculis: *Supremum infimi non est infimum supermi.* In rebus, quæ sibi invicem subordinantur, summum fastigium inferioris non ita attollitur sicut gradus infimus superioris, stylobata nunquam non suum tenet caput sub pedibus statuæ, quam sustentat. Natura ita subordinata est gratiæ, ut quamvis contenderit se extollere summè, nunquam affecutura sit gradum infimum gratiæ Christi Jesu.

O Jesu! quam divites gratiarum tuarum sunt thesauri! ô quantas complectuntur magnificentias! ô vere Deus! quan-

tum conferunt dignitatis & excellentiæ animabus, quæ sorte beantur illarum obtinendi partem! Quare conspiciuntur Magnates mundi, Monarchæ, coronati vertices humiliare se, suosque flectere usque ad terram poplites coram Lipsanothecâ, sancti alicujus continente ossa, qui totam vitam suam nonnisi in maximâ exegit paupertate, ad veritate, contemptu? nisi quia servorum tuorum aggregatus fuerat numero, aliquid tuæ participans magnificentiæ quia aliquam sibi comparaverat partem tuæ gratiæ: Et ecce sublatum ipsum super omnem mundi gloriam.

Ut quid humilitas, afflictiones, paupertas, cruces, à quibus adeo abhorret natura, tantis sunt in deliciis, tantis in honoribus tot viris præclaris, qui præferunt illas gloriæ & omnibus mundi voluptatibus? nisi quia nôrunt, quod honoratæ sint & divinæ quasi redditæ in adorandâ personâ tuâ. Et insuper abscondisti sub illis tuarum maximam abundantiam gratiarum, quibus virtus est attollendi super omnem mundi magnificentiam illa omnia, quæ illarum vel minimo honorantur contactu. O cæcos nos ac imperitos, si in alio veram queramus gloriam, quam in gratiæ Jesu Christi?

Gratia Jesu Christi attollit res minimas.

Cor

Desiderium
possidendi
gloriam non
potest imple-
re nisi per
gratiam Jesu
Christi.

Cor humanum continere se non potest, quin omnem intendat nervum, ut teneat & assequatur gloriam; nec est, qui non aspiret ad illam. Verum qui inquirunt hanc in mundo naturæ, ubi disceptant & altercantur inter se homines, quis obtineat eam, nunquam illius nisi vanam adipiscuntur speciem, & nunquam solidam & fucos expertem ipsius veritatem: siquidem omnis eorum fumus in morem evanescit gloria. Nusquam accurritur ad tumulos Magnatum terræ, ut accumularentur honoribus; non æstimantur vanæ ipsorum ambitiones; ex adverso non nisi contemptum de ipsis loquuntur omnes. Verum, qui gloriam aucupantur in mundo gratiæ, ubi totam Jesus Christus abscondit ipsam, ubi nemo disceptat de illâ, ubi non est, qui obstaculo sit illis, quin tantum participant, quantum voluerint ex eâ; non habent quidem aliquam ipsius speciem & apparentiam, cum nihil appareat gloriæ in eo, quod quis patitur, humilietur, despiciatur, toleret persecutiones, ut conformis fiat imagini Jesu Christi; obtinent tamen & assequuntur ipsius veritatem, cum memoria iustorum in æterna sit & maneat benedictione. Nonne super aras attolli videmus ipsorum cineres, adolexi ipsis thura, ejusmodi exhi-

beri ipsis honores, cujusmodi Magnates mundi pro se exigere non audent, & ubivis per cuncta sæcula ipsorum declamari Panegyres.

Ecce tibi opus gratiarum tuarum, ô divine Jesu! plura tibi sunt, unde magnifices, unde locupletes, unde compleas honore & gloriâ servorum tuorum minimum, quam universus simul mundus suppeditare possit, unde maximos honoret & magnificet Monarchas. Sanctus Rex David, Diadema gestans in vertice, & omni totius mundi non tam circumfulgens, quam circumfusus gloriâ, in medio apparentium harum dignitatum, agnoscebat optimè, se in omnibus his non possidere nisi vanam magnitudinis imaginem, quæ nihil habeat veritatis, dicebat ex corde: Mallem potius esse novissimus in domo DEI, quam esse supremus & omnium summus in superbis mundi palatiis. Sed plura adhuc dicit; ecce propria ipsius verba: *Elegi abjectus esse in domo DEI mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Psal. 83.

O quam verum est, majoris Felicitas eorum, qui sunt
esse honoris & amplioris felicitatis, esse novissimum ac ultimum in ordine gratiæ, quam esse summum ac supremum in ordine naturæ! siquidem dum hujus affectæ novissimum, pauperri-

Nnnn

perrimum & abjectissimum tenent locum in terris; ille, qui unicum tantum habebit gratiæ Jesu Christi gradum, major, nobilior, ditior est maximo mundi Rege, qui caret illâ. Ah! unde venit, mi Deus! unde venit, quod non omnes urgeant se ipsos ad famulandum Jesu Christo? Unde venit, quod omnes in mundo homines non ardentissimo flagrent desiderio participandi ipsius gratias? estne ideò, quia non amatur gloria? Sed vix est, qui amet, qui desideret aliud: estne ideò, quia non constat, contineri illam in Jesu Christi gratiarum thesauro totam? Sed fides, ratio, experientia id luculenter & ad oculum demonstrant nobis. Ideò ergò est, quia totus mundus est cæcus, est stupidus, deceptus & circumventus? Ita, procul dubio, cæcitas ignorantia, stupiditas, inconsiderantia hominum omnis hujus infelicitatis vera radix est & origo.

Ah! quæso aperiamus summe oculos, & clarè aspiciamus manifestam hanc veritatem, nihil esse magnitudinis, nihil divitiarum, nihil nobilitatis extra Deum, nisi id, quod hauritur ex infinito thesauro gratiarum Jesu Christi: hujus dabo hic vobis demonstrationem evidentissimam. Non ignoramus, comparandum nobis omnibus esse

coram tribunali DEI, in extremo judicii die, nec ullum fore ex cunctis hominibus, ab Adam usque ad novissimum, cui liceat esse absentem, tuncque rerum omnium veritatem esse manifestandam.

Venite, Magnates mundi, qui mundum replêstis vestrorum strepitu facinorum, proferte in medium, quidquid habuerit præclarum magis & eximium. Ego oppugnavi, ego superavi, ego triumphavi, ego comparavi, mihi regna & provincias dicent Cæsares, Alexandri, potentissimi quique Monarchæ, qui terrore concutiebant universum: Collocate hæc omnia in bilancem Dei, quæ sola deceptionis est nescia, in æqua rerum estimatione: nullius hæc omnia sunt ponderis. Ego magnas possedi divitias, dicent alii, ego ingentia accumulavi mihi fortunæ munera, ut omnes rapuerim in admirationem; ego magna curavi negotia, illustres obivi provincias, splendida officia, ubi meis populorum felicitatem constringebam manibus. Conjice hæc omnia in bilancem Dei: nullius & ipsa sunt ponderis. Ego meam in honoribus consumpsi vitam; ego omnes degustavi voluptatum illecebras; ego nunquam non auspiciatum obtinui in cunctis meis negotiis eventum. Statue hæc

Quod æstimatur à mundo, nullius est ponderis in bilance DEI.

hæc omnia in bilanciẽm DEI; nullius quoque hæc erunt ponderis. Adjice insuper cætera omnia, quæ magni pendit, mundus, quæque boni alicujus insignit nomine; & ut nihil desit, adjuuge universum mundum naturæ; appone illum totum & integrum, absque ullius rei exceptione, in bilanciẽm Dei; hæc omnia nullius sunt ponderis; & ne quidem valore adæquant unicum momentum visionis Dei. Ah! credebam hæc maximi esse ponderis, momenti summi. Ita, credebam ex cæcitate tuâ, illisque velut veris ac solidis inhias bonis, & jam cernis esse & fuisse nihil.

Quod mundus contemnit, magni est ponderis in bilance DEI.

Veni modò pauper Christiane, qui æstimare noveras pretium ac valorem gratiæ JESU Christi; monstra nobis id, quod possedisti in vita tua minus dignum consideratione: Ego actum exercui humilitatis, dum affectus aliquando fueram injuriâ; contulit mihi Deus gratiam tolerandi id patienter ex amore sui; obmutui & silui, & explosus sum sibilis, pudorem subii & contemptum. Mitte hæc omnia in bilanciẽm Dei: o quanti hæc sunt ponderis! & quanti! Adæquant æternitatem integram possessionis DEI. Ego, dicet alter, eram pauper, partim ex ordinatione providentiæ divinæ, partim ex hominum ma-

litiâ mea mihi diripientium bona; & æquo toleravi id animo ex amore JESU Christi, repletus consolatione superabundans gaudio, quòd ipse in me redundaret similitudo. Mitte hæc in bilanciẽm DEI, & integram possessionis DEI adæquabunt æternitatem. Et ego, affirmabit alius, exantlavi opera pœnitentiæ, jejunavi, maceravi carnem, corpus flagellis excepi, elicui actus contritionis, pauperibus amore Dei, mea præstiti servitia, vigiliis ago in oratione, memetipsum abnegavi, ut voluntatem facerem Dei. Bilanci Dei con-crede hæc omnia; nec unum ex omnibus his erit, quòd in sui recompensationem non exæquet pretium regni æterni.

Et itane, mi Deus! credebam hæc omnia esse nihil, eòquòd nullius essent splendoris, nec ullius apud mundum pretii; nihili æstimabam illa velut res flocci & levis momenti. Ita, hæc te perculerat cæcitas; sed modò cernis recensenda illa fuisse inter veras quæ obtineri in vita possunt, facultates & divitias, mundi que magnificentias. Verum quidem est, hæc omnia pretiosa non esse ex seipsis; sed video in omnibus gratiam JESU Christi, quæ suam illis conferat nobilitatem: hæc lapis est philosophicus, virtutem habens adeò divinam, ut, quidquid tan-

Nnnn 2

git,

git, mutet in aurum, sed aurum tanti pretii, ut non nisi solus Deus sit dives satis illi solvendo.

Totus Paradisus non est dives, nisi pulchritudinibus JESU CHRISTI.

Joan. I. v. 16.

Attolle tuos in altum oculos, & aspice eximias cœlestis urbis pulchritudines. Postquam absolutum fuerit Dei judicium, & irrevocabiles duarum æternitatum, felicitis & infelicitis pronuntiatæ sententiæ, omne id, quod quidquam nobilitatis aut magnificentiæ habebit extra Deum, elevabitur in cœlum. Quam innumera multitudo Beatorum, qui omnes in suis circumferunt verticibus coronas gloriæ! Quis omnibus hisce exornavit vos magnificentis, decoravit splendoribus, vos qui non eratis, nisi miserabiles terræ vermiculi, quæ omnes refertis nunc speciem Regum æternitatis. Monstrabant tibi JESUM CHRISTUM, tibi que dicent illa sancti Joannis Apostoli verba: *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Nos divites non sumus, nisi ex ipsius abundantia, aliunde nil hausimus, nisi è thesauro gratiarum ipsius; apertos habebamus fontes Salvatoris, omnes ex eo hausimus cum gaudio, quantum volumus, per totum vitæ nostræ decursum: nihil magni nobis erat, nisi quod accepimus ab ipso.

Sed video plures ex vobis cessisse jam satis, antequam JESUS CHRISTUS veniret in mundum,

Verum est, sed gratia ipsius magnus est oceanus, non dependens à præsentia illius corporali in mundo: ipsa erat ante ipsum; ipsa duravit adhuc post ipsum; ipsa suas extendit aquas à sæculo usque in sæculum, & nunquam defuit ulli hominum; sed nec etiam ullus est quidquam nisi ipsius virtute gratiæ promeritus. Verum dicebant nonnulli, ipsum non habuisse gratias pro omnibus, ipsum pro omnibus non esse mortuum, ipsum non habuisse voluntatem salvandi omnes. Impietas hæc est, quam omnes execrabuntur sancti in cœlo in æternum, & ipsi etiam damnati committere non audebunt; non enim conquerentur sibi defuisse gratiam; sed percitariæ fatebuntur, se potius gratiæ defuisse.

O JESU! quam dives es thesaurus! ô quam dives est te possidens anima! sed quam immensus est tuarum fons gratiarum? JESUS CHRISTUS locupletat ipsum Deum Patrem suum. Non solum tu possides, unde cunctes repleas inestimabilibus bonis mortalium animas; sed video habere te, unde etiam divinum tuum locupletes & bonis accumules Patrem. Tu ipsi magnificam instruis aulam ex innumerâ compositam multitudine sanctorum, qui ipsius in æternum modulabuntur laudes in cœlo, quam non haberet absque te. Tu recipis ab ipso solo

solo omnem tuam gloriam essentialem & internam; & ipse recipit à te solo omnem suam gloriam accidentalem & externam: Tu glorificaris ab illo, & ille glorificatur à te; gloria hæc est reciproca, una pro aliâ. Quam sublime commercium! quam admiranda reciprocatio gloriæ inter duas hæc divinas Personas, repleta gaudio in totam æternitatem omnes sanctos in cælo, quæque solido esse de-

beat solatio cunctis bonis animabus in terris? Quanto demulceor gaudio in corde meo, ô mi amabilissime Jesu, ex eo, quod ita glorifices Patrem tuum cœlestem & meum! Non est infirmitatis meæ ipsi reddere eam, quam deberem & vellem gloriam; sed tu glorifica ipsum pro me, & ego glorificabo illum per te in æviterna sæcula.

CONSULTATIO XX.

Jesus Christus Prædicans, Divina sua lumina Diffundit in mundo, quæ ipsius demonstrant Divinitatem.

Tantæ insolentiæ ac temeritatis reperire est animos, ut omnem mundi sapientiam suis inclusam verticibus circumferre se putent; persuasi se omniscios de cunctis instituunt sermonem, omnia suâ perstringunt censurâ, dumque aliud non agunt, nisi quod ambitiosius suam ostentant sapientiam, reipsâ suæ ostendunt testimonium ignorantia & fatuitatis.

Horum unus, nomine Onesimus, occurrit nobis, dum brevem parabamus instituere recollectionem, ad exigendum ho-

ram in silentio & interiori cum Deo colloquio, juxta legem, quam ipsimet injunxeramus nobis, quamque inviolabiliter observare nobis erat animus, toto nostro tam in longum protracto itinere, duo saltem indies observando interstitia ad relaxandum nostrum animum, concedendo ipsi quietem in Deo, vero centro suo. Quamvis enim sæpius colloqueremur de Deo: nihilominus tota alia res est, loqui cum hominibus de Deo, quam loqui ipsimet Deo, & ipsum animabus audire loquentem.

Nnnn 3

Ipsè

Bonum exercitium tempore itinere

Christus
pletat
in Deum
suum